

COLLECTION DE TEXTES

Relatifs au Droit et aux Institutions de la Bourgogne,
par une Société de Professeurs et d'anciens Elèves DE LA FACULTÉ DE DROIT DE L'UNIVERSITÉ DE DIJON.

CHARTES

DE

L'ABBAYE DE SAINT-ÉTIENNE

DE DIJON

Enquête de l'An 1300

PAR

M. GUILLEMARD

DOCTEUR EN DROIT

PARIS
Librairie PICARD Fils et Cie
Rue Bonaparte, 82.

DIJON
NOURRY, Libraire-Editeur.
Place du Théâtre, 12.

1908

CARTULAIRE

DE

L'ABBAYE DE SAINT-ÉTIENNE

DE DIJON

ENQUÊTE DE L'AN 1300

Anno domini millesimo trecentesimo, indictione quarta decima pontificatus sanctissimi patris domini *Bonifacii* pape VIII, anno sexto, hii sunt testes domini *Hugonis* de *Aceyo*, abbatis *sancti Stephani* divionensis lingonensis diocesis, et fratris *Hugonis* de *Marcennaio* et *Guillelmi*, dicti *Lopitaul*, canonicorum dicti monasterii *sancti Stephani*, procuratorum eiusdem monasterii, constitutorum in causa appellationis et principalis negocii que vertitur inter ipsos abbatem et conventum monasterii ex una parte, et decanum et capitulum capelle domini ducis *Burgundie* eiusdem loci de *Divione* ex altera, recepti et jurati coram nobis *Odone*... viro magistro, *Petro* de *Sinemuro*, canonico, eduensi judice a domino papa dato, una cum venerabilibus viris decano sedelocensi eduensis diocesis... canonico cabilonensi et coram nobis predicto *Bartholomeo* prefato, decano sedelocensi se excusante, ac deinde diligenter examinati testes dictorum abbatis et

conuentus contra dictos decanum et capitulum, in eadem causa et interrogatoriis datis pro parte eorumdem decani et capituli, quos... canonicus Xantonensis, capellanus domini pape ac eius palacii auditor, causarum sub sigillo suo transmisit inclusos.

Primus testis.

Art. 1, 2. In primis, dominus *Johannes* de *Arcu*, canonicus predicte capelle ducis, testis productus pro parte dictorum religiosorum, receptus, juratus et diligenter examinatus super articulo qui sic incipit; in primis intendit probare *Regnaudus* procurator abbatis et conuentus contra decanum et capitulum et canonicos predicte capelle quod... super secundo articulo qui sic incipit; item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis et cetera, dixit quod iidem articuli veri sunt. Requisitus quomodo scit, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi et amplius, quod ipse est canonicus predicte capelle, et ex tunc per plura tempora quibus fuit apud *Diuionem*, ipse vidit et audiuit dici quod ecclesia *sancti Medardi* erat ecclesia parrochialis et erat cum suo parrochiatu qui parrochiatus est in castro diuionensi, prout circuitus murorum dicti castri ipsum castrum claudit monasterii *sancti Stephani* diuionensis, pleno jure, et respondet et respondit immediate in temporalibus abbati et ecclesie *sancti Stephani*, et in spiritualibus, quia dicitur communiter apud *Diuionem*, quod abbas dicti monasterii gerit curam dicte ecclesie sancti *Medardi* et in ea consueuit instituere vicarium ad faciendum diuinum officium in eadem et quia uidit pluries et quasi frequenter, quamdiu fuit apud *Diuionem*, homines et mulieres qui morabantur in dicto castro ire ad dictam ecclesiam *sancti Medardi* tanquam ad eorum parochialem ecclesiam et de premissis nunquam vidit seu audiuit dici contrarium. Interrogatus

Art. 6. quantum tempus est quod predicta vidit et audiuit, dixit quod bene sunt XL anni et amplius elapsi. Item : interrogatus quando primo predicta vidit et de presentibus et eorum nominibus, dixit quod non recolit. Item interrogatus, ubi predicta vidit, dixit quod ante domum ipsius qui loquitur, que est sita prope ecclesiam *sancti Medardi* predictam. Item interrogatus de anno, mense et die, dixit quod non recolit ; de hora, dixit circa primam et pluribus aliis horis ; interrogatus quociens ea vidit, dixit quod non recolit, nisi quando pluries. Item interrogatus quis erat tunc abbas, et quis decanus, dixit quod, quando primo predicta uidit et audiuit, frater *Amedeus* erat tunc abbas dicti monasterii et defunctus dominus *Artaudus* erat decanus dicte capelle et deinde predicta uidit et audiuit, tempore defuncti abbatis *Girardi* et *Hugonis* abbatis qui nunc est, et etiam tempore defuncti *Petri* decani et *Lamberti* decani dicte capelle, qui nunc est. Item interrogatus quid est dicere parochialis, dixit quod illa ecclesia dicitur parochialis prout sibi uidetur quod habet certos parochianos qui sunt assueti venire ad ecclesiam illam et ecclesiastica sacramenta petere et recipere a curato ipsius ecclesie uel eius vicario. Item interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod uidetur ei quod tempus XL annorum sit longum. Item interrogatus de limitibus ipsius parochie *sancti Medardi* et quantum se extendunt limites predicti et quis primo ipsos limites ordinavit, dixit quod nescit nisi quod dicitur communiter quod castrum *Divionis* est in parochia *sancti Medardi* predicta. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis in loco de *Divione* edificata et cetera, dixit quod ipse credit quod dicta capella edificata et constructa fuit in parochiatu ecclesie *sancti Medardi* predicti, pro parte illa que est inter muros castri divionensis, quia dicitur communiter quod castrum de *Divione*, in quo dicta capella

Art. 9, 10, 11, 12. sita est, pro majori parte est intra parochiatum *sancti Medardi* predicti. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera, et super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit quod vidit quamdam compositionem olim factam inter partes predictas super qua agitur et litigatur inter ipsas et eam audiuit legi et continebatur in ea, inter cetera, quod *Odo* quondam dux *Burgundie* dictam compositionem laudauit, sed non vidit confirmationem eiusdem compositionis, nec scit utrum fuit confirmata seu bullata. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula, dixit quod tempore defuncti *Amedei* quondam abbatis dicti monasterii et tempore [et tempore] defuncti decani *Petri* et *Artaudi* non erat dissensio inter dictas partes, quam sciret ipse qui loquitur. Dicens quod quando ipse fuit primo canonicus, dicta compositio observabatur et observata fuit usque ad tempus litis mote, requisitus de tempore litis mote, dixit quod bene non recolit. Interrogatus quomodo scit quod dicta compositio observabatur, dixit quod propter hoc quod non audiebat nec videbat quod super ipsa compositione esset dissentio inter partes. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod de predictis super quibus ipse qui loquitur supra deposuit, fuit et est publica vox et fama apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle, sed nescit utrum apud loca conuicinia. Interrogatus quomodo scit, dixit quod propter hoc quod ita audiuit dici communiter et a apostolibus de quorum nominibus non recolit. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod dicitur a pluribus. Interrogatus unde primo habuit originem ista fama et vox, dixit quod a compositione predicta, prout credit. Item requisitus super

Art. 13, 32, 35. tertiodecimo articulo, qui sic incipit. Item quod super dicta discordia dicte partes coram magnifico et cetera, dixit quod bene sunt decem anni elapsi uel circa quod ipse vidit quod procuratores dictarum partium comparuerunt coram domino *Johanne* de *Sinemuro*, clerico ducis *Burgundie*, et coram domino *Bernardo* de *Montemoreto*, tunc bailliuo dicti ducis, et litigabant inter se coram ipsis super aliquibus de contentis in compositione predicta ; sed utrum comparerent ex vi dicte compositionis uel alicuius confirmationis aut voluntarie, ignorat. Item requisitus super tricesimo secundo articulo, qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit inter partes quod omnia acta et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator, quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod abbas et conuentus predicti monasterii perceperunt et habuerunt et habere et percipere consueuerunt unam prebendam in dicta capella videlicet panem et uinum et distributiones cothidianas, sicut unus ex canonicis dicte capelle ; et grossus fructus in bursa seu de bonis capituli eiusdem requisitus quomodo scit, dixit quia ita uidit et audiuit a XL annis et amplius citra, videlicet usque ad tempus litis mote inter dictas partes in curia Romana per plura tempora, et vidit pluries dictas distributiones tradi in choro dicte capelle uni de canonicis ecclesie *sancti Stephani*, qui seruiebat in dicta capella pro tempore pro eadem ecclesia, et uidit portari pluries panem et vinum seu prebendam panis et vini dicte capelle ad dictam ecclesiam *sancti Stephani*, quam prebendam percipiebant in cellario dicte capelle abbas et conuentus predicti, sicut unus ex canonicis predicte capelle, et ita uidit tempore abbatis *Amedei* abbatis *Girardi* quondam et abbatis *Hugonis*, qui nunc est, et tempore decani *Petri*, decani *Artaudi* quondam, et tempore *Lamberti*, qui nunc est decanus dicte capelle, et

Art. 36. semper audiuit dici et computari quando erat in capitulo et fiebat mentio de prebenda que percipiebat ecclesia *sancti Stephani* in dicta capella, que pro ea computabantur duodecim libre. Item requisitus super tricesimo sexto articulo, qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod de tempore, quo facte dicte compositiones fuerunt, non recolit: sed a quadraginta annis preteritis usque ad viginti annos proximo preteritos, et etiam a viginti annis citra, per aliqua tempora ipse qui loquitur uidit, audiuit et sciuit quod fructus redditus et obuentiones ac bona prouenentia occasione dicte capelle, recipiebantur ab illo qui erat cellerarius dicte capelle pro tempore et per ipsum cellerarium distribuebantur equaliter inter canonicos: ita quod tantum recipiebat ab ipso cellerario ecclesia abbas et conuentus *sancti Stephani* diuionensis, quantum unus de canonicis dicte capelle; requisitus quomodo scit, dixit quod ita vidit observari per plures annos a tempore quo ipse fuit canonicus dicte capelle, citra per viginti annos et amplius pacifice et quiete, tempore quo per dictum cellerarium bona obuenientia occasione dicte capelle recipiebantur et distribuebantur, et audiuit pluries quando fuit cum dictis decano et capitulo in dicta capella et tenebant capitulum, quod cellerarius qui erat pro tempore quando computabat cum dictis decano et capitulo, computabat grossos fructus unius prebende pro ecclesia *sancti Stephani*, que eosdem fructus percipiebat de bonis dicte capelle, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle, eo tempore quo dicta bona per ipsum cellarium recipiebantur et quo prebende dicte capelle non erant divise nec assignate in certis locis canonicis eiusdeim capelle sicut modo sunt, et per aliqua tempora quando prebende dicte capelle fuerunt divise et assignate, dicti abbas et conuentus percipiebant duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende in bursa capituli dicte capelle et

Art. 37, 38. satisfiebat eis super hoc a cellerario dicte capelle, qui pro tempore erat, et ita audiuit pluries in capitulo quando decanus et capitulum et canonici dicte capelle erant congregati in eo ad capitulandum more solito. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de ipsa pecunia que sibi in singulis annis et cetera, dixit quod de pecunia que in singulis annis canonicis dicte capelle solui consueuit pro anniversariis, tantum percipiebat et habebat ecclesia *sancti Stephani* deseruiens per unum de canonicis suis in eadem capella, quantum unus de canonicis ipsius capelle: requisitus quomodo scit, dixit quia ita uidit pluries et presens fuit et hoc est notorium in dicta capella et publice soluebatur dicta pecunia in choro dicte capelle uni de canonicis *sancti Stephani* seruienti in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* sicut uni ex canonicis dicte capelle : requisitus quando primo predicta uidit, dixit quod bene sunt quadraginta anni et amplius elapsi et uidit seruire in dicta capella pro ecclesia *sancti Stephani* primo prout sibi videtur per fratrem *Parisium*, nunc cantorem *sancti Stephani*, et deinde per fratrem *Nicolaum Laudate* quondam canonicum *sancti Stephani*, et postea per fratrem *Odonem Verroquier* canonicum *sancti Stephani,* qui percipiebant de dicta pecunia quando erant presentes in choro dicte capelle, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et ultimo uidit non sunt adhuc sex anni elapsi quod dictus frater *Odo Verroquier* percipiebat de dicta pecunia modo predicto ratione ecclesie *sancti Stephani*. Item requisitus super tricesimo octauo articulo, qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis ex certa sciencia et cetera, dixit quod non recolit se uidisse dictam compositionem confirmatam seu bullatam, tamen ipse uidit quod abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte

Art. 39. capelle secundum quod in precedenti articulo deposuit et frequenter et assidue, quando ipse qui loquitur a quadraginta annis et amplius preteritis usque ad sex annos nuper elapsos erat apud *Diuionem* et audiebat diuinum officium in dicta capella, ipse uidit quod unus de canonicis *sancti Stephani* seruiebat in eadem sicut unus ex canonicis dicte capelle et faciebat septimanam suam celebrando magnam missam ad magnum altare dicte capelle et stabat et sedebat in choro dicte capelle sicut et unus ex canonicis eiusdem et percipiebat distributiones cothidianas. Item requisitus super tricesimo nono articulo, qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* prebendam unam perceperunt et cetera, dixit dictum articulum uerum esse, causam scientie reddens sicut supra, primo dixit super tricesimo sexto articulo et super tricesimo septimo : dicens etiam quod dicte prebende modo sunt distincte et assignate canonicis dicte capelle in certis locis et quod pluries uidit ante distinctionem et assignationem huiusmodi, quod ecclesia *sancti Stephani* computabatur inter canonicos dicte capelle in perceptione grossorum fructuum unius prebende pro uno canonico et ita obseruatum fuit a decano et capitulo predictis per plures annos ante litem motam, que uertitur inter ipsas partes in curia romana, quando bona prouenentia occasione dicte capelle recipiebantur et distribuebantur per cellerarium qui erat pro tempore, prout dicit ipse qui loquitur, dicens etiam ipse qui loquitur quod ipse nescit causam quare dicti decanus et capitulum obmiserunt et recusauerunt assignare dictis abbati et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* prebendam distinctam, nisi pro eo quod non placebat eis quod terra eorum regeretur per aliquem nisi esset canonicus eiusdem capelle, et propter hoc quod audiuit dici a decano et capitulo dicte capelle quod dicta compositio, super qua agitur, de jure non valebat seu

Art. 40 à 48. tenebat et quod eam non tenebantur observare de jure et propter hoc quod ipsi dicebant, quod canonicus qui seruiebat in dicta capella pro ecclesia *sancti Stephani* non parebat eisdem in aliquibus ut deberet. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et fama et cetera, dixit quod de hiis supra quibus supra deposuit ipse qui loquitur, fuit et est publica vox et fama apud dictam capellam et apud *sanctum Stephanum* et ea sunt publica et notoria in locis predictis, causam sciencie reddens, quia ita dicitur communiter in eiusdem locis ; interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod a multis dicitur et refertur : Item interrogatus unde habuit primo originem ista fama, dixit quod nescit nisi ab illis qui ita audierunt et retulerunt. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et conuentu predictis percipientibus prebendam et cetera, dixit dictum articulum verum esse, causam sciencie reddens, quod antequam dicte prebende dividerentur, et per tempora per que non fuerunt divise, dicti abbas et conuentus percipiebant unam prebendam, sicut in eodem articulo continetur, nec erat super hoc aliqua dissensio inter dictas partes, ut dicit ipse qui loquitur, nec super hoc audiuit dici contrarium, primo dicebatur communiter in dicta capella quod ecclesia *sancti Stephani* habebat unam prebendam in eadem capella quam percipiebat sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum adhuc soluunt et cetera. Item requisitus super quadragesimo tercio, quarto, quinto, sexto, septimo et octavo articulis immediate sequentibus, dixit se nihil scire, dicens tamen quod bene credit quod dicti abbas et conuentus per se uel per alium requisiuerunt dictos decanum et capitulum, seu requiri fecerunt,

Art. 49, 50. qui assignarent eis certam et distinctam prebendam et quod ipsi assignare recusauerunt eamdem et dixit quod grossi fructus unius prebende dicte capelle existimantur ualere duodecim libras turonenses tantummodo. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et canonici impedierunt et cetera, dixit se nihil scire, sed audiuit dici communiter in dicta capella, ut dicit, quod ecclesia *sancti Stephani* consueuit et debet percipere per unum annum prebendam cuiuslibet canonici defuncti, et quod credit quod dicti decanus et capitulum non permittunt quod dicti abbas et conuentus percipiant prebendam distinctam sicut ipse canonicus percipiebat, primo fit eisdem abbati et conuentui satisfactio in pecunia de bursa capituli dicte capelle pro ipsa prebenda defuncti canonici. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod ipse credit et intendit quod dicta capella et quicquid est circum circa dictam capellam in castro diuionensi et intra muros dicti castri siue sint domus decani siue canonicorum seu aliorum, est in parrochia et infra fines parrochie *sancti Medardi* diuionensis, que pertinet ad ecclesiam *sancti Stephani*, prout supra dixit ipse qui loquitur; et hoc credit propter hoc quia dicitur communiter quod quicquid est in dicto castro, in quo dicta capella sita est, excepta quadam parte cancelli dicte capelle, que uidetur esse sita extra muros dicti castri est in parrochia *sancti Medardi* predicti, dicens tamen ipse qui loquitur quod dicte capelle decanus et canonici eiusdem sunt exempti et non tenentur ipsi ecclesie *sancti Medardi* ad aliqua jura parrochialia, sed omnes alii comorantes in dicto castro, ipsis exceptis et capellanis et clericis chori dicte capelle, generaliter se habent pro parrochianis dicte ecclesie

Art. 51, 60 à 68. *sancti Medardi*, prout uidit et audiuit ipse qui loquitur pluries a XL annis proximo preteritis citra. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod non vidit dictum privilegium, sed notorium est in dicta capella quod decanus dicte capelle habet curam animarum ducis et ducisse *Burgundie*. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator, quod domus terre, uinee et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici pluries a pluribus de quorum nominibus non recolit, quod ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani* consueuerunt percipere et habere ab antiquo census et decimas in quinque parrochiis diuionensibus, videlicet *beate Marie*, *sancti Nicolaï*, *sancti Medardi*, *sancti Petri* et *sancti Michaelis Diuionis*, que parrochie pertinere dicuntur ad ecclesiam et abbatem et conuentum *sancti Stephani* predicti et infra fines parrochiatuum quinque ecclesiarum predictarum et a XL annis citra, ita audiuit dici pluries, sed non recolit de die, hora, loco, mense, et anno et septimana.

Item requisitus super sexagesimo primo articulo, qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia in eadem ecclesia sunt fontes ad baptisandum, nec aliud scit de dicto articulo, ut dicit. Item requisitus super sexagesimo secundo, tercio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod bene credit et intendit quod predictas decimas et etiam census consueuerunt percipere et habere dicti abbas et conuentus ab antiquo et percipi et recipi fecerunt infra parrochiatus predictos tanquam spectantes ad eos pacifice et quiete, hoc excepto, quod illi de capella, videlicet decanus et capitulum et canonici eiusdem, dicunt se exemptos a prestatione census et decimarum de vineis quas possident

Art. 69, 76 à 79, 80 à 86.

et acquisiuerunt seu acquirunt, intra parrochiatus predictos facienda dictis abbati et conuentui et credit quod recusauerunt et recusant soluere dictas decimas et etiam censum, sed nescit utrum hoc faciant iuste uel iniuste. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit quod credit dictum articulum uerum esse excepto de fama publica ; requisitus quare credit dixit quod propter quod ita dicitur quasi communiter in pluribus locis apud *Divionem*. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt predictis abbati et conuentui et cetera. Item requisitus super septuagesimo septimo, octauo, nono articulis, et super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tercio, quarto, quinto et sexto articulis dixit se nihil scire, hoc excepto quod bene credit quod decanus et capitulum recusauerunt soluere predictis abbati et conuentui ac eorum monasterio censum et decimas de vineis propriis canonicorum dicte capelle, et patrimonialibus, et omnibus aliis quas acquisiuerunt, et possederunt ac possident qualitercumque licet site sint in parrochiis dicte ecclesie *sancti Stephani* et in territoriis in quibus decimas eadem ecclesia *sancti Stephani* generaliter consueuit percipere decimas, et contradixerunt, et nunc etiam contradicunt easdem soluere, sed nescit utrum iuste uel iniuste uel contra compositionem aliquam, dicens etiam ipse qui loquitur quod ista sunt publica et notoria apud capellam predictam, causam scientie reddens, quia audiuit dici a decano qui nunc est, quod ipse decanus, capitulum, seu canonici, non tenentur ad aliquam decimam dictis abbati et conuentui, dicens si quidem ipse qui loquitur quod partes predicte litigaverunt coram domino duce *Burgundie,* et eius comissariis super aliquibus de contentis in dicta compositione, presente ipso qui loquitur, sed non recolit qualia erant ea super

Art. 89, 90, 91. quibus litigabant, nec utrum litigarent coram dicto duce tanquam coram judice ac conseruatore dicte compositionis, et quod bene est vox publica super hoc apud capellam et ecclesiam *sancti Stephani* predictas, et quod istud non indiget probatione, cum sit manifestum ut dicit ipse qui loquitur. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora fuit et cetera, dixit dictum articulum uerum esse, causam scientie reddens, quia uidit, a XL annis preteritis usque ad viginti annos proximo preteritos per aliqua tempora quibus fuit apud *Diuionem*, quod nulla erat dissentio inter dictas partes super contentis in compositione predicta et quod unus de canonicis *sancti Stephani* seruiebat et faciebat diuinum officium in dicta capella et percipiebat pecuniam pro anniversariis seu distributionibus cothidianis sicut unus ex canonicis capelle, et nuntius abbatis ueniebat ad cellarium dicte capelle in quo distribuebatur panis et uinum, et percipiebat panem et uinum et ei distribuebantur huiusmodi panis et uinum nomine dictorum abbatis et conuentus sicut uni ex canonicis dicte capelle, et pluries uidit dictum nuntium regredi de dicto cellario cum pane et uino et intrare monasterium *sancti Stephani* predictum. Item requisitus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant et cetera, dixit quod non recolit de illis qui dictam compositionem iurauerunt, nisi quod bene recolit quod uiginti anni uel circa sunt elapsi, quod ipse jurauit se seruaturum dictam compositionem presente defuncto fratre *Girardo* quondam abbate *sancti Stephani* predicti, et pluribus aliis de quorum nominibus non recolit, nec de die, mense et septimana; de hora dixit quod ante prandium, prout credit. Item requisitus super octogesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod in ecclesia sancti Stephani et cetera, dixit quod ipse jurauit in ipsa ecclesia *sancti Stephani* super magnum

Art. 92, 93. altare, et credit quod plures canonici dicte capelle iurauerunt se seruaturos dictam compositionem. Item requisitus super nonogesimo secundo articulo et nonogesimo articulo tercio, dixit quod credit dictos articulos ueros esse, propter hoc quia audiuit ita dici in dicta capella a pluribus de quorum nominibus non recolit.

Art. 1, 2. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum, qui articulus qui sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit dictum articulum uerum esse, hoc excepto quod nescit de longeuis temporibus, quia bene sunt anni septem uel octo elapsi aut amplius quod lis est inter partes, causam scientie super hoc reddens quia bene sunt quadraginta anni et amplius elapsi quod ipse uidit quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* primo tenuerunt et habuerunt in dicta capella fratrem *Parisium*, nunc cantorem dicti monasterii et deinde fratrem *Nicolaum* dictum *Laudate* canonicum dicti monasterii et post modum fratrem *Odonem* dictum *Verroquier*, canonicum eiusdem monasterii ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, dicens etiam ipse qui loquitur, quod non sunt adhuc sex anni elapsi quod dictus frater *Odo Verroquier* seruiebat modo predicto in dicta capella pro dictis abbate et conuentu et ecclesia *sancti Stephani* sine aliqua contradictione, prout ipse qui loquitur publice uidit in choro dicte capelle hora misse magne et uesperarum et aliarum horarum, quibus consuetum est facere diuinum officium in dicta capella. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et tenuerunt et cetera, dixit quod nescit utrum dictus canonicus haberet uel habere deberet propriam sedem, quia eum uidit sedere aliquotiens in prima sede post decanum dicte capelle et quandoque in alia sede, sed bene vidit pluries quod ispe canonicus post decanum dicte

Art. 3, 4. capelle primam ebdomadam faciebat et celebrabat magnam missam in dicta capella ad magnum altare eiusdem, publice et sine contradictione aliqua. Item requisitus super tercio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et cetera, dixit quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt et in possessione uel quasi fuerunt juris habendi et percipiendi grossos fructus unius prebende in dicta capella : requisitus quomodo scit, dixit quod per plures annos audiuit et uidit computari in capitulo dicte capelle illum qui pro tempore erat cellerarius ipsius capelle, in presentia decani et capituli dicti loci, et quod idem cellerarius computabat unam prebendam dicte capelle, seu grossos fructus unius prebende pro ecclesia *sancti Stephani*, sed non recolit per quot annos ita uidit et audiuit et nescit ipse qui loquitur ut dicit, utrum dictos grossos fructus perceperunt dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* et habuerunt longeuis temporibus et utrum fuerunt in possessione uel quasi predicta per longa tempora. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et diuturnis temporibus perceperunt et cetera, dixit per juramentum suum quod a quadraginta annis citra ipse qui loquitur uidit pluries quod unus de canonicis *sancti Stephani* seruiebat in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et percipiebat distributiones cothidianas in eadem capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle sine contradictione aliqua : interrogatus per quot annos ita uidit, dixit quod quando fuit presens in dicta capella ita uidit per XX annos et amplius, quia ante litem motam nulla erat contentio super premissis ; dixit etiam ipse qui loquitur quod dicti religiosi *sancti Stephani* percipiebant et habebant in cellario dicte capelle panem et uinum sicut unius ex canonicis dicte capelle ac percepe-

Art. 5, 6, 7. runt per multos annos ante litem motam et post; requisitus quomodo scit, dixit quod ita uidit pluries quando fuit et mansit *Divione* et fere qualibet die uidebat unum de famulis monasterii *sancti Stephani* euntem qualibet die et transeuntem ante domum ipsius qui loquitur ad panem et uinum dicte capelle, et reuertentem ad dictum monasterium cum pane et uino : interrogatus quotiens ita uidit, dixit quod non recolit, sed pluries ita uidit ; interrogatus quando primo ita uidit, dixit quod bene sunt quadraginta anni et amplius elapsi; interrogatus de astantibus, dixit quod non recolit : interrogatus quando secundo ita uidit, dixit quod non recolit, sed ita uidit pluribus uicibus, etiam a viginti annis citra. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant uel quasi predicta jura et cetera, dixit quod credit dictum articulum uerum esse sed non recolit de tempore appellationis emisse ex parte decani et capituli predicte capelle. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* erant in possessione vel quasi et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse nec alias uoluit deponere. Item requisitus super septimo articulo qui sic incipit. Item quod post appellationem et lite mota et pendente coram dicto domino auditore videlicet domino decano protanensi et cetera, dixit per juramentum suum quod dicti decanus et capitulum, post litem motam inter dictas partes in curia romana et post appellationem interpositam, denegauerunt et recusauerunt respondere predictis abbati et conuentu et ecclesie *sancti Stephani* de contentis in dicto septimo articulo sed nescit utrum irrationabiliter et iniuste. Requisitus quomodo scit quod recusaverunt et denegaverunt, dixit quod propter hoc quod ipse audiuit dici in dicto capitulo ipsius capelle a magistro *Lamberto*, nunc decano dicte capelle, et a quibusdam aliis canonicis

Art. 8, 9. eiusdem loci, quod compositio virtute cuius dicti religiosi dicunt se predicta percipere debere de jure non tenet et quod canonicus *sancti Stephani* qui seruiebat pro ecclesia *sancti Stephani* non obediebat dicto decano in hiis in quibus sibi obedire tenebatur et ob hoc predicta denegauerunt dicti decanus et capitulum supradictis religiosis qui modo nihil perceperunt de predictis in eadem capella : requisitus de tempore, dixit quod a decem annis citra ita audiuit in dicto capitulo. Interrogatus de die, mense, septimana et hora et de astantibus in dicto capitulo, dixit quod non recolit. Item requisitus super octauo articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente dicti decanus et capitulum subtraxerunt predicta, dixit quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt predicta eisdem abbati et conuentui *sancti Stephani* quia dicunt se non teneri ad tradendum seu soluendum aliquid de predictis eisdem religiosis, sed nescit utrum propter hoc iidem decanus et capitulum dictos religiosos propter hoc spoliauerunt indebite suis juribus supradictis. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et canonici dicte capelle eiecerunt et expulerunt canonicum quando ibi habebant et cetera, dixit quod contenta in eodem articulo dicuntur esse notaria in predicta capella et vera, sed nescit utrum dicti decanus et capitulum ipsum canonicum *sancti Stephani* qui seruiebat in ipsa capella ejecerint aut contenta in ipso articulo fecerunt irrationabiliter et iniuste, dicens etiam ipse qui loquitur quod a quatuor annis citra aliquotiens ipse uidit quod hostia per que intrantur chorum ipsius capelle fuerint firmata seu serata ex parte dictorum decani et capituli, ne canonicus ille *sancti Stephani* qui seruiebat in eadem capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* ipsum chorum intraret et uidit et audiuit in dicto choro celebrari diuina et missas januis clausis presentibus in ipso choro decano predicto et pluribus

Art. 10, 11, 12. canonicis dicte capelle et capellanis et clericis dicti chori. Item requisitus super decimo, undecimo et duodecimo articulis sequentibus, dixit se nihil scire dicens tamen quod credit quod si canonicus quem consueuerunt habere et tenere in dicta capella dicti abbas et conuentus seruiuisset in ea modo debito, dicti abbas et conuentus debuissent percepisse de bonis dicte capelle ratione ipsius seruitii ualorem quatuor viginti librarum turonensium paruorum uel amplius nec aliud scit de premissis articulis. Interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod libere conditionis est ipse qui loquitur. Item interrogatus si fuerit instructus uel doctus ut ita deponeret dixit quod non. Item interrogatus quantum habeat in bonis dixit quod ualorem centum librarum turonensium et amplius. Item interrogatus quam partem plus vellet obtinere dixit quod mallet dictos decanum et capitulum obtinere in causa predicta dum tamen ius haberent in ea. Item interrogatus utrum fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato et si predicta deposuerit rogatus aut prece seu pretio et cetera, dixit quod non.

Secundus testis.

Art. 2. Magister *Hugo* de *Auxona* clericus chori predicte capelle testis productus ex parte dictorum religiosorum contra supra dictos decanum et capitulum, receptus juratus et diligenter examinatus, requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu, dixit per juramentum suum quod credit dictum articulum verum esse quia abbas *sancti Stephani* diuionensis qui est pro tempore habet curam dicte ecclesie *sancti Medardi* et ibi consueuit instituere vicarium loco sui unum de suis canonicis vel alium et a quadraginta annis citra ita audiuit quod ipsa ecclesia *sancti*

Art. 6, 9, 10, 11, 12. *Medardi* est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* diuionensis nec sciuit unquam vel audiuit dici contrarium. Interrogatus quando predicta primo audiuit, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera. Item requisitus super decimo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit se nihil scire nisi de auditu. Interrogatus quid audiuit dici et a quibus, dixit quod audiuit dici ab abbate dicti monasterii et decano dicte capelle qui nunc sunt et a quibusdam de canonicis dicti monasterii et predicte capelle de quorum nominibus non recolit, quod quedam compositio olim facta fuit inter ecclesias *sancti Stephani* et capelle predictas, que fuerat per sedem apostolicam confirmata, super qua compositione agebatur inter ipsas partes. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia a quadragenta annis circiter per aliqua tempora ipse uidit quod persone et canonici dictarum ecclesiarum *sancti Stephani* et capelle erant ad inuicem inter se concordes et amici nec litigabantur inter ipsos super dictam compositionem uel aliquo alio quod sciret ipse qui loquitur. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias et etiam apud *Diuionem* quod predicta ecclesia *sancti Medardi Diuionis* cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* de *Diuione* per tantum tempus cuius principii memoria non existit. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama dixit quod illud quod vulgariter dicitur a pluribus. Interrogatus unde primo

Art. 13, 32, 35. habuit originem huiusmodi vox et fama dixit quod nescit. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia dicte partes coram magnifico et cetera, dixit se nihil scire nisi quod bene sunt duodecim anni elapsi uel circa, quod ipse vidit pluries procuratores dictarum ecclesiarum comparere apud *Diuionem* coram domino *Johanne* de *Sinemuro* et coram domino *Richardo*, quondam bailliuo *Diuionis*, commissariis domini ducis *Burgundie* ut dicebant et dictos procuratores litigare coram ipsis, sed non recolit super quibus litigabant. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit inter partes et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod a quadragenta annis circiter per plura tempora ipse qui loquitur vidit pluries nuntium ecclesie predicte *sancti Stephani* euntem ad cellarium dicte capelle cum quodam uase et manutergio seu nappa quam secum portabat et redeuntem de dicto cellerario cum pane et vino de dicto cellario et intrantem abbatiam *sancti Stephani* predicti et hoc vidit pluribus uicibus, quia ipse qui loquitur diu moram fecit et adhuc moratur ante portam dicte abbatie, nec recolit de nomine dicti nuntii, quia una uice ibat et redibat ad dictum cellarium pro predictis pane et vino unus nuntius, altera vice alius, et similiter vidit pluries a dicto tempore citra tradi distributiones cothidianas in choro dicte capelle canonico ecclesie *sancti Stephani* qui seruiebat in dicta capella pro ipsa ecclesia *sancti Stephani* sicut uni ex canonicis dicte capelle, dicens quod dictas distributiones uidit tradi pluribus vicicis fratri *Parisio*, nunc cantori dicti monasterii, fratri *Nicolao*, dicto *Laudate*, et fratri *Odoni* dicto *Verroquier*, canonicis dicti monasterii quos vidit seruire ipse qui loquitur in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti*

Art. 36, 37, 38. *Stephani.* Interrogatus quando primo predicta uidit et quando secundo, dixit quod non recolit nisi quod bene sunt triginta annis elapsi vel circa quod primo ita vidit et postea ita vidit per plura tempora Interrogatus quotiens predicta vidit dixit quod non recolit nisi quod pluribus vicibus et plus quam decies; dixit etiam ipse qui loquitur quod a quadragenta annis citra audiuit dici a pluribus de canonicis dicte capelle, de quorum nominibus ad presens non recolit, quod ecclesia *sancti Stephani* desseruiens per unum de canonicis suis in dicta capella percipiebat grossos fructus unius prebende dicte capelle sicut unus ex canonicis eiusdem capelle, et hoc audiuit pluribus vicibus dici apud *Diuionem* in pluribus locis. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse; interrogatus quare credit, dixit quod propter hoc quia sicut videbat tradi distributiones canonico *sancti Stephani* seruienti in dicta capella sicut et uni ex canonicis dicte capelle et panem et vinum prout supra dixit; ita credit quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* percipiebant a cellario dicte capelle de bonis dicte capelle pro grossis fructibus unius prebende tantum quantum unus ex canonicis dicte capelle.

Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia que et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia videtur sibi quod quicquid percipiebat canonicus *sancti Stephani* seruiens in dicta capella illud percipiebat nomine ecclesie *sancti Stephani* predicti et quia pluries vidit tradi eidem canonico seruienti pro dicta ecclesia et distribui a cellerario dicte capelle pecuniam pro anniversariis dicte capelle in choro dicti loci sicut et uni ex canonicis dicte capelle a triginta annis elapsis usque ad quatuor annos nuper preteritos. Item requisitus super tricesimo octauo articulo

Art. 39 à 51. qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis ex certa et cetera, dixit per juramentum suum, quod bene sunt triginta anni elapsi quod ipse vidit fratrem *Parisium* nunc cantorem ecclesie *sancti Stephani* et post ipsum cantorem fratrem *Nicolaum* dictum *Laudate* et deinde fratrem *Odonem* dictum *Verroquier* canonicos ecclesie *sancti Stephani* servire in dicta capella pro ipsa ecclesia *sancti Stephani* per plura tempora et a dicto tempore triginta annorum usque ad quatuor annos nuper preteritos vel circa vidit, ipse qui loquitur, per plura tempora quod abbas et conuentus predicti fuerunt in dicta capella per unum de canonicis suis ydoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle, dicens etiam ipse qui loquitur quod bene sunt quatuor anni elapsi quod vidit ultimo seruire dictum fratrem *Odonem* in dicta capella pro dictis abbate et conuentu et vidit sibi etiam distributiones cothidianas. Interrogatus de loco in quo predicta vidit, dixit quod in choro dicte capelle presentibus ibidem pluribus canonicis capellanis et clericis dicte capelle de quorum nominibus ad presens non recolit. Item interrogatus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, pro eo quod audiuit dici pluries a quibusdam de canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit quod abbas et conuentus predicti habebant et percipiebant unam prebendam in dicta capella. Item requisitus super XL, XLI, XLII, XLIII, XLIIII, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX et quinquagesimo articulis sibi singulariter expositis, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur quod dicti decanus et capitulum prebendas dicte capelle diuiserunt et modo habent prebendas diuisas. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo, dixit quod audiuit dici quod continetur in quadam compositione olim facta inter partes predictas quod

Art. 60, 61, 62, 63. decanus habet curam animarum ducis et ducisse. Item requisitus super sexagesimo articulo, qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo articulo, qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et cetera, dixit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est ecclesia baptismalis et ibi sunt fontes ad baptisandum in quibus a triginta annis citra ipse qui loquitur vidit et audiuit plures pueros baptisari et ab eisdem fontibus suscepit et lenauit dicens si quidem ipse qui loquitur quod credit firmiter quod dicta ecclesia sit parochialis, quia habet sub se apud *Diuionem* quinque ecclesias videlicet ecclesias *beate Marie, sanctorum Nicolai, Michaelis, Petri* et *Medardi Diuionis*. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo, qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones site et cetera, dixit quod terre vinee et possessiones site intra parochias et loca predicta sunt et esse consueuerunt decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbas et conuentus decimas percipere et habere hoc excepto quod illi de capella non tenentur dictis abbati et conuentui ad decimas huiusmodi prout dicit ipse qui loquitur et prout dicitur contineri in quadam compositione olim facta inter dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quod a triginta annis citra per plures annos ipse vidit communiter plures parochianos dictarum parochiarum ire ad dictum monasterium ut concordarent cum decimatoribus institutis ad hoc de decimis in quibus tenebantur dictis abbati et conuentui ratione terrarum et uinearum eorumdem. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit quod a triginta annis citra ipse vidit pluries nuntios dictorum abbatis et conuentus, qui ibant per parochias

Art. 64, 65, 66, 67, 68. predictas et recipiebant et petebant census ab illis qui habebant domos, vineas, terras et possessiones alias intra dictas parochias, pertinentes ad ecclesiam *sancti Stephani* predicti et vidit ipse qui loquitur per plures annos et etiam anno presenti dictos nuncios petentes et recipientes dictos census generaliter a pluribus parochianis dictarum ecclesiarum, sed nunquam vidit dictus testis quod illi de capella soluerent census dictis abbati et conuentui. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod, a triginta annis citra, ipse audiuit dici publice apud *Diuionem* et per plures annos quod dicti abbas et conuentus perceperunt et percipi et recipi fecerunt decimas ex terris vineis et possessionibus seu fructibus inde prouenientibus que sunt intra dictas parochias exceptis illis de capella qui ex terris seu vineis ipsorum licet sint site intra dictas parochias non tenentur dictis religiosis ad decimam pro ut dicit et credit ipse qui loquitur. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt per dicta tempora et cetera, dixit quod credit quod dictus articulus verus est semper exceptis illis de capella et religiosis exemptis quia ipse qui loquitur non audiuit quod aliquis impediat eos in dicta possessione qui sit parochianus dictarum ecclesiarum. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod licet dicta compositio et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis vineis quas dicta capella et cetera, dixit quod credit dictos articulos veros esse quia canonici dicte capelle et decanus eiusdem se opposuerunt et dicunt quod non tenentur dictis abbati et conuentui ad aliquas decimas neque census. Item

Art. 69, 76, 77 à 87, 89 à 93. requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica uox et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit quod nescit utrum predicti decanus et capitulum predictis abbati et conuentui subtraxerunt censum et decimas, sed credit quod predicta soluere recusauerunt et contra dixerunt sicut in eodem articulo continetur et pro ut supra dixit ipse qui loquitur, nec credit quod ob hoc veniant contra dictam compositionem. Item requisitus super septuagesimo septimo, LXXVIII, LXXIX, LXXX, LXXXI, LXXXIII LXXXIV, LXXXV, LXXXVI, LXXXVII articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono, nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio dixit se nihil scire, nisi quod a triginta annis citra per aliqua tempora videlicet tempore abbatis *Amedei* defuncti et tempore domini *Petri* de *Barro* quondam decani dicte capelle non erat aliqua dissensio inter partes ipsas super dicta compositione quam sciret vel videret ipse qui loquitur, vel super aliis dicens etiam ipse qui loquitur, quod bene credit quod canonici dicte capelle qui nunc sunt nolunt facere seu prestare juramentum super obseruatione dicte compositionis et de hoc est vox et fama in capella quod nolunt jurare.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani Diuionis* tenuerunt et cetera, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi, quod ipse qui loquitur primo fuit clericus de choro dicte capelle et a dicto tempore usque ad quatuor annos vel circa proximo preteritos ipse vidit et videbat quando presens erat et fuit apud *Diuionem* et apud dictam capellam quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* predicti tenuerunt

Art. 2 à 4. et habuerunt et in possessione vel quasi fuerunt tenendi et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle et ita vidit pluries a dicto tempore usque ad dictos quatuor annos. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod credit quod dictus canonicus aliquando faciebat primam ebdomadam post decanum dicte capelle. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti, dixit se nihil scire, nisi de auditu. Interrogatus quid audiuit dici et a quibus, dixit quod ita audiuit dici in dicta capella et alibi a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod a triginta annis circiter pluries et per plures annos ipse vidit nuntium *sancti Stephani* euntem ad cellarium dicte capelle et deferentem quoddam uas in quo quidem cellario distribuebantur panis et vinum ad opus canonicorum dicte capelle et redeuntem de dicto cellario ac portantem panem et vinum receptum ab eo in dicto cellario sicut alii nuntii canonicorum dicte capelle et portabat huiusmodi panem et vinum quidem nuntius abbatie *sancti Stephani* ad eamdem abbatiam et similiter vidit ipse qui loquitur quod frater *Parisius* nunc cantor dicte ecclesie *sancti Stephani* qui seruiebat in dicta capella pro abbate et conuentu et ecclesia *sancti Stephani* percipiebat et recipiebat a cellerario dicte capelle predictas distributiones cothidianas, sicut unus ex canonicis dicte capelle et post ipsum fratrem *Parisium* vidit fieri simili modo a fratre *Nicolao*, dicto *Laudate* et deinde a fratre *Odone Verroquier* pro ut supra dixit ipse qui loquitur et vidit solui dictas distributiones et tradi a dicto cellerario pro tempore existenti vel eius mandato primo

Art. 5 à 12. dicto fratri *Parisio*, deinde dicto fratri *Nicolao* et post modum dicto fratri *Odoni*, qui frater *Odo* adhuc percipiebat eas et seruiebat in dicta capella circa quatuor annos proximo preteritos. Item requisitus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod vox communis et fama est et diu fuit in predicta capella et in predicto monasterio *sancti Stephani* quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani Divionis* tenuerunt et habuerunt longeuis temporibus unum canonicum regularem in dicta capella ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod publice dicitur et a apostolibus et quod similiter fuit et est publica vox et fama quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt grossos fructus unius prebende dicte capelle panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus unde primo habuit originem dicta fama et vox, dixit quod nescit, nec aliud scit.

Tertius testis.

Art. 2, 6. Dominus *Rainaldus* de *Alba Petra*, presbyter canonicus predicte capelle testis productus et parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum predictos receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi Diuionis* cum suo parochiatu est et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia dicta ecclesia gubernari consueuit per canonicos dicti monasterii *sancti Stephani*. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit Item quod ipsa

Art. 9 à 13. ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera. Item super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit quod a sex annis citra quadam die de qua non recolit ipse qui loquitur audiuit legi quemdam compositionem olim factam inter dictas partes in qua continebatur quod *Odo,* dux *Burgundie,* laudauerat ipsam compositionem. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capella et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia a quadraginta septem annis proximo preteritis ipse qui loquitur pluries vidit usque ad tempus fratris *Girardi,* quondam abbatis dicti monasterii, qui decessit bene sunt undecimo anni elapsi quod dicta compositio obseruabatur inter dictas partes et inter eas non erat aliqua dissensio. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et etiam apud *Diuionem* quod predicta ecclesia *sancti Medardi* est ecclesia parochialis et pertinet ad abbatem et conuentum et monasterium *sancti Stephani Diuionis* pleno jure et quod castrum diuionense pro ut circuitus murorum ipsius castri claudit dictum castrum est intra parochiatum *sancti Medardi* predicti in quo castro sita est predicta capella ducis ut dicit testis qui loquitur excepta parte illa dicte capelle que sita est extra muros dicti castri. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama dixit quod illud quod a pluribus et communiter dicitur pro ut credit. Item interrogatus unde primo habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod nescit. Item interrogatus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod supra discordia et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super trice-

Art. 32 à 37. simo secundo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator et abbas et conuentus et cetera, quod tunc ordinatum fuit inter partes quod omnia acta et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, nec aliud voluit dicere seu deponere super dicto articulo. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi quod dominus *Simon* dictus *Li groyois* presbyter erat cellerarius dicte capelle et recipiebat omnia bona provenentia occasione dicte capelle et ea equaliter distribuebat prout credit inter canonicos dicte capelle. Ita quod tantum percipiebat ab ipso cellerario ecclesia *sancti Stephani* desserviens per unum de canonicis suis quantum unus ex canonicis dicte capelle, dicens quod bene sunt quadraginta anni elapsi quod primo audiuit dici in dicta capella et alibi a pluribus de quibus non recolit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* aut abbas ipsius ecclesie vel eius mandatum percipiebat nomine ipsius ecclesie in dicta capella unam prebendam modo predicto. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi quod ipse vidit fratrem *Parisium* nunc cantorem dicte ecclesie *sancti Stephani* seruire in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et vidit quod tantum percipiebat de pecunia que solui consuevit pro anniversariis quantum unus de canonicis predicte capelle et post dictum fratrem *Parisium*, vidit seruire in dicta capella fratrem *Nicolaum,* dictum *Laudate,* canonicum *sancti Stephani* qui de dicta pecunia modo simili percipiebat et deinde ita vidit de fratre *Odone* dictum *Verroquier* cano-

Art. 38 à 40. nici dicti monasterii non sunt adhuc sex anni elapsi et ita vidit fieri pluries et per plures annos in choro dicte capelle presentibus decano et canonicis dicte capelle qui tunc presentes erant et hoc fiebat publice in dicto choro prout dicit ipse qui loquitur. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis ex certa sciencia per sedem apostolicam confirmate et cetera, dixit quod nescit quando dicta compositio fuit confirmata sed ipse vidit a quadraginta annis proximo preteritis usque ad tres annos proximo preteritos vel quatuor quod abbas et conuentus predicti seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut unus de canonicis dicte capelle et ita vidit per plures annos et quasi continue a dicto tempore usque ad dictos tres vel quatuor annos dicens ipse qui loquitur quod credit quod si abbas *sancti Stephani* predicti vellet presentare unum de canonicis suis idoneum ad seruiendum in dicta capella pro ecclesia *sancti Stephani* sicut unus ex canonicis dicte capelle et qui presentatus dictis decano et capitulo vellet obedire eisdem sicut obediuit canonici dicte capelle dicti decanus et capitulum libenter reciperent ipsum canonicum ad seruiendum in dicta capella pro ipsa ecclesia *sancti Stephani* et de hoc est certus ipse qui loquitur ut dicit. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* predicti prebendam unam et cetera, dixit quod ipse credit quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* predicti prebendam unam perceperunt de bonis dicte capelle per plures annos nec aliud voluit dicere seu deponere super huiusmodo articulo. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit per juramentum suum quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et publicum est et notorium

Art. 41. in locis predictis, quod abbas et conuentus predicti habuerunt et perceperunt et habere et percipere consueuerunt in dicta capella unam prebendam integram de bonis dicte capelle, sicut unus de canonicis dicte capelle et ipsam perceperunt a dicta capella eodem modo quo canonici residentes et desseruientes in dicta capella perceperunt et habuerunt et fuit et est similiter publica vox et fama in locis predictis quod post dictam compositionem aliquanto tempore fructus redditus et obuentiones ac bona prouenentia occasione dicte capelle recipiebantur a cellerario dicte capelle et per ipsum cellerarium distribuebantur equaliter inter canonicos, ita quod tantum percipiebat abbas et ecclesia *sancti Stephani* desseruiens per unum de canonicis suis in dicta capella quantum unus de canonicis dicte capelle et similiter de pecunia que solui consueuit in dicta capella pro anniversariis annis singulis et similiter fuit et est publica vox et fama in locis predictis quod abbas et conuentus predicti seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle per triginta annos et amplius. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama dixit ut supra. Interrogatus unde habuit originem dicta fama et vox dixit quod nescit. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et conuentu percipientibus et cetera, dixit quod quindena festi Ascentionis domini proximo preterita fuit unus annus elapsus quod decanus et capitulum dicte capelle diuiserunt prebendas dicte capelle ita quod canonici ibidem residentes et desseruientes habent prebendas distinctas et assignatas et quilibet eorum scit ubi debet percipere prebendam suam et fuit huiusmodi diuisio facta in dicta capella, presente magistro *Lamberto* decano et capitulo dicte capelle ac ipso qui loquitur, sed nescit utrum ipsa diuisio facta fuerit

Art. 42 à 51, 60. ipsis abbate et conuentu percipientibus in dicta capella prebendam sicut in ipso articulo continetur. Item requisitus super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod fructus exitus et prouentus cuiuslibet prebende et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse computatis distributionibus et omnibus aliis que proueniunt ratione dicte prebende. Item requisitus super quadragesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod pars illa dicte pecunie et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et canonici impediunt et cetera, dixit se nihil scire nisi quod dicti abbas et conuentus debent percipere prebendam defuncti canonici dicte capelle qui fecit primum stagium suum in dicta capella in bursa capituli dicte capelle et nunquam vidit quod perciperent prebendam distinctam quam habebat defunctus canonicus ante mortem. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit se nihil scire nisi quod dicta ecclesia *sancti Medardi* est et esse consueuit monasterii *sancti Stephani* diuionensis sicut supra dixit ipse qui loquitur. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica per priuilegium concessum et cetera, dixit quod ita audiuit dici et legi dictum priuilegium pro ut credit similiter audiuit. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre vinee et cetera, dixit quod credit et intendit dictum articulum verum esse quia communiter census consueuerunt solui dictis abbati et conuentui vel eorum mandato de domibus et possessionibus sitis intra fines

Art. 61 à 66. dictorum parochiatuum, exceptis propriis domibus decani et canonicorum dicte capelle ac coquinis et cellariis propriis eorumdem et etiam propriis vineis de generali dicti capituli, que sunt exempte una cum dicta capella a sede apostolica et eius auctoritate pro ut dicit. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et cetera, dixit quod nescit si sit parochialis sed credit quod ab antiquo est et fuit baptismalis quia in ea sunt fontes in quibus baptisari consueuerunt pueri nascentes in parochiatu ecclesie *sancti Medardi*. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre vinee et possessiones et cetera, dixit quod, exceptis decano et capitulo dicte capelle quos dicit esse exemptos a decimis soluendis dictis abbati et conuentui et qui non consueuerunt eis soluere decimas, ipse credit dictum articulum verum esse. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse exceptis illis que excepit ipse qui loquitur in predicto sexagesimo articulo et exceptis officiariis dicte capelle Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod percipiunt ab antiquo et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse exceptis terris vineis et possessionibus decani et capituli ac canonicorum predicte capelle. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse hoc excepto quod superius est exceptum. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod licet dicta compositio per sedem apostolicam confirmata et cetera, dixit quod de omnibus contentis in dicta compositione non recolit sed bene credit quod dicti decanus et capitulum de

Art. 67, 68. domibus cellariis et grangiis quas acquisiuerunt intra dictas parochias post dictam compositionem et que erant ante ecclesie *sancti Stephani* censuales generaliter censum soluere recusant ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* et recusauerunt, dicens etiam ipse qui loquitur quod a tribus annis citra ipse emit et acquisiuit quemdam domum in castra *Diuionis* de qua soluit censum dictis abbati et conuentui vel eorum mandato, nec contra dixit soluere censum dictis religiosis vel eorum mandato, licet audiuerit dici a dicto decano ipsius capelle qui nunc est quod ipse qui loquitur et alii canonici dicte capelle non tenentur dictis abbati et conuentui ad solutionem alicuius census virtute dicte compositionis. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et canonici se opponunt et cetera, dixit quod dictus articulus verus est. Requisitus quomodo scit dixit quod audiuit ita dici a decano et a pluribus canonicis dicte capelle qui dicunt se non teneri dictis religiosis ad aliquas decimas maxime cum sint exempti. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis vineis quas dicta capella et cetera, dixit per juramentum suum quod sibi videtur quod decanus et capitulum et canonici qui tunc presentes erant fuerunt requisiti in dicta capella ex parte dictorum abbatis et conuentus quod de illis et vineis quas dicta capella decanus et capitulum et canonici post compositionem predictam acquisierant intra parochias dicte ecclesie *sancti Stephani* et territoria earum decimarum et etiam censum soluerent, et ex parte dictorum decani et capituli et canonicorum responsum fuit quod non tenebantur dictis abbati et conuentis ratione dictarum vinearum ad decimam nec ad censum, nec recolit de nomine illius qui fuit mandatum seu qui requisitam predictam fecit ex parte dictorum abbatis et conuentus, sed credit quod dictus decanus pro se et capitulo et cano-

Art. 69 et 76. nicis fecit responsionem predictam. Requisitus de tempore dixit quod a septem annis circiter de astantibus et hora non recolit nec de die, mense vel septimana.

Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et fama et cetera, dixit quod fama et vox est et fuit in dicta capella super hiis que dixit ipse qui loquitur de quadragesimo primo articulo. Et quod est similiter fama et vox apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle super contentis in quadragesimo tertio articulo et in quadragesimo septimo distributionibus computatis et quod dicti abbas et conuentus debent percipere prebendam defuncti canonici dicte capelle, si fecerit primum stagium suum in dicta capella, de pecunia burse capituli dicti loci et quod dicta ecclesia *sancti Medardi* est et esse consueuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* diuionensis et quod fuit per priuilegium concessum dicte capelle ducis et decani ipsius, qui haberet curam animarum ducis et ducisse, et de contentis in sexagesimo articulo et quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est ecclesia baptismalis. Ita dicit ipse qui loquitur quod vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias et apud *Diuionem* et notorium et publicum super contentis in sexagesimo secundo, tertio, quarto, quinto, septimo et octauo articulis exceptis in omnibus hiis que superius excepit ipse qui loquitur. Item interrogatus quid est dicere publica vox et fama et unde habuit originem dixit ut supra. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod nescit si subtraxerunt predicta et soluere et contra dixerunt et contra dicunt contra dictam compositionem et obstantia eisdem quia audiuit dici a dicto decano quod de aliquibus possessionibus, quas dicti decanus et capitulum et canonici capelle habent

Art. 77 à 79. vel acquiunt seu acquisierunt, non tenentur dictis abbati et conuentui ad censum nec ad decimas etiam virtute dicte compositionis. Item requisitus super septuagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum per dictum tempus et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod nescit a quo tempore impedierunt et recusauerunt nec scit utrum impediant vel recusent contra predictam compositionem. Item requisitus super septuagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod de contentis in predictis septuagesimo sexto et septimo articulis hoc excepto quod superius excepit ipse qui loquitur fuit et est publica vox et fama et predicta fuerunt et sunt publica et notoria apud ecclesias predictas et de hiis audiuit loqui inter decanum et canonicos predicte capelle, qui dicebant se non teneri dictis abbati et conuentui ad censum nec ad decimas et inter abbatem et canonicos dicti monasterii, qui dicebant contrarium. Interrogatus de tempore dixit quod a septem annis circiter. Interrogatus quis erat tunc abbas dicti monasterii dixit quod frater *Hugo* qui modo est et magister *Lambertus Aucceuroise* erat decanus dicte capelle et adhuc est. Item interrogatus super septuagesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod fructus redditus et cetera, dixit quod fructus redditus et prouentus distributiones et ea que proueniebant, proueniri et distribui poterant abbati et conuentui et monasterii predictis, ratione prebende quam percipiebant in dicta capella, eo tempore quod non erat lis inter partes predictas super dicta prebenda et eo tempore quo dicta ecclesia *sancti Stephani* seruiebat in dicta capella per unum de canonicis suis, valebant et valere poterant communiter existimare annuatim viginti libras turonenses et plus, causam scienciæ reddens quod prebenda ipsius qui loquitur quam percepit in dicta capella et fructus

Art. 80 à 90. ipsius et distributiones valerunt sibi annuatim viginti libras turonenses et plus. Item requisitus super octogesimo articulo qui sic incipit. Item quod computatis omnibus que proueniebant et cetera, dixit dictum articulum verum esse dum tamen seruirent in dicta capella per unum de canonicis suis. Item requisitus super octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia a quadraginta annis usque circa viginti annos proximo preteritos et maxime per aliqua tempora, quando viuebat abbas *Amedeus,* ipse vidit quod nulla erat dissensio super dicta compositione, vel super aliis que sciret ipse qui loquitur, inter illos *sancti Stephani* et capelle. Item requisitus super nonagesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant et cetera, dixit se nihil scire nisi quod bene sunt quindecim anni et amplius elapsi quod frater *Girardus* quondam abbas dicti monasterii, predecessor fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, *Raignaudus* canonicis *sancti Stephani* predicti et quidam alii canonici dicti monasterii, de quorum nominibus non recolit, venerunt ad ecclesiam dicte capelle, presentibus in dicta capella domino *Artaudo* tunc decano, *Roberto* cantore tunc et pluribus canonicis dicte capelle, et vidit ipse qui loquitur quod tam frater *Girardus* abbas quam canonici sui tunc presentes in dicta capella, fecerunt fidelitatem decano et canonicis dicte capelle tunc presentibus, pacis osculo subsecuto, et statim postmodum dicti decanus et cantor accesserunt ad ecclesiam *sancti Stephani* cum canonicis suis tunc presentibus et ante magnum altare *sancti Stephani* predicti fecerunt eodem modo fidelitatem dictis abbati et canonicis suis *sancti Stephani* tunc ibidem presentibus, pacis osculo subsecuto.

Art. 91 à 93. Interrogatus quomodo scit, dixit quod vidit et presens fuit. Interrogatus de anno, mense, septimana et die dixit quod non recolit; de hora, dixit quod ante prandium de astantibus non recolit. Item requisitus super nonagesimo primo, secundo et tertio articulis dixit se nihil scire, nisi quod frater *Hugo*, qui nunc est abbas dicti monasterii, bene sunt sex anni et amplius elapsi, requisiuit ipsum qui loquitur ut dictum juramentum prestare et fidelitatem predictam faceret, quod facere noluit ipse qui loquitur pretendens quod non juraret nisi primo videret jurare canonicos dicte capelle, qui ante ipsum assecuti fuerunt prebendam in eadem capella.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod bene sunt quadraginta quinque anni elapsi et amplius quod ipse qui loquitur primo fuit clericus de choro dicte capelle et ex tunc ipse vidit quasi continue quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani Diuionis* tenuerunt et habuerunt et etiam in possessione vel quasi fuerunt iuris tenendi in dicta capella, unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus de canonicis dicte capelle, et primo vidit quod tenuerunt in dicta capella et habuerunt ad seruiendum et faciendum diuinum officium fratrem *Parisium*, tunc cantorem dicti monasterii, et postea fratrem *Nicolaum* dictum *Laudate*, et tandem fratrem *Odonem* dictum *Verroquier*, quem tenuerunt et habuerunt ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella pro ipsis et ecclesia eorum, non sunt adhuc sex anni elapsi, et vidit ipsos fratres *Parisium*, *Nicolaum* et *Odonem* successere prout supra dixit seruire facere diuinum officium in dicta capella, sicut unus de canonicis dicte capelle. Requisitus quis erat abbas dicti monasterii et quis decanus dicte

Art. 2 à 8. capelle quando primo predicta vidit, dixit quod defunctus fratrer *Amedeus* tunc erat abbas dicti monasterii et dictus *Marcheang* erat tunc decanus dicte capelle. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire nisi quod vidit pluries quod dictus canonicus faciebat primam ebdomadam post dictum decanum. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia et cetera, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi quod audiuit dici quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* predicti fuerunt in possessione percipiendi grossos fructus unius prebende in dicta capella et etiam postea ita audiuit dici pluries. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et diuturnis temporibus et cetera, dixit quod a quadraginta annis elapsis circa ipse qui loquitur vidit per multa tempora et multis vicibus nuntium abbatis dicti monasterii euntem ad cellarium dicte capelle, ubi distribuebat panis et vinum, et redeuntem et reportantem tantum de pane et vino quantum distribuebat uni de canonicis dicte capelle et vidit solui in dicto choro ipsius capelle distributiones cothidianas dictis fratribus *Parisio, Nicolao* et *Odone*, canonicis dicti monasterii, qui fuerunt in dicta ecclesia capelle pro abbate et conuentu dicti monasterii prout supra dixit ipse qui loquitur, sicut uni ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse. Item requisitus super sexto et septimo articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super octauo articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente et cetera, dixit quod credit quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt dictis religiosis predicta modo debito et non indebite

Art. 9. spoliando. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et cetera, dixit quod, circa quinque annos uel quatuor proximo preteritos cum canonicus *sancti Stephani* quem dicti abbas et conuentus tunc tenuerunt et tenebant in dicta capella ad seruiendum in ea et faciendum diuinum officium, sicut unus de canonicis dicte capelle, vellet sedere in prima sede post decanum dicte capelle et facere priman ebdomadam in dicta capella post ipsum decanum dictum fuit eidem canonico et inhibitum ex parte dictorum decani et capituli ne sederet in dicta sede et quod non faceret primam ebdomadam post ipsum decanum, quia non habebat nec habere debebat in dicta capella dictum canonicum *sancti Stephani* propriam sedem nec primam ebdomadam post ipsum decanum debebat facere, nisi ex voluntate dictorum decani et capituli et quod ipsi decanus et capitulum ordinauerant inter se quod canonici dicte capelle, qui habebant dignitates seu personatus in ipsa capella, essent preferendi dicto canonico *sancti Stephani* in sedendo in dicta sede et in faciendo primam ebdomadam post ipsum decanum, quorum decani et capituli inhibitioni idem canonicus non curauit parere, post modum vero ipse qui loquitur vidit pluries celebrari diuinum officium in dicta capella presente ibidem decano ipso qui loquitur et quibusdam de canonicis ac capellanis et clericis dicte capelle, januis clausis ne intraret dictam capellam idem canonicus *sancti Stephani* et ne sederet in dicta sede post ipsum decanum, et ita tunc fuerat ordinatum per decanum et canonicos dicte capelle presentes, prout dicit ipse qui loquitur, propter hoc quod idem canonicus *sancti Stephani* nolebat obedire mandatis et ordinationem decani et capituli predictorum. Requisitus quomodo scit premissa, dixit quod presens fuit et audiuit et vidit; de tempore dixit ut supra de mense, septimana et die, non recolit; de loco,

Art. 10. dixit quod in capella predicta et in eius choro ; de astantibus, dixit quod dictus decanus et plures canonici, capellani et clerici dicte capelle, de quorum nominibus non recolit ad presens. Interrogatus de hora, dixit quod bene non recolit ; dixit etiam ipse qui loquitur quod postquam aliquandiu celebratum fuit diuinum officium, januis clausis, in dicta capella, dicti decanus et capitulum ordinauerunt quod in dicta capella fieret diuinum officium, januis appertis, et quod si canonicus *sancti Stephani* predicti, quem tenuerunt dicti abbas et conuentus in dicta capella, ut dictum est, veniret ad dictam capellam ad faciendum diuinum officium in eadem, nulle distributiones traderentur seu soluerentur eidem, et licet idem fratrer *Odo* canonicus *sancti Stephani* post predictam inhibitionem veniret ad dictam ecclesiam et in choro dicte capelle fuerit ad diuinum officium faciendum, tamen nihil distribuebatur eidem, et ita vidit et audiuit ipse qui loquitur, bene sunt quatuor anni elapsi vel circa, et credit ipse qui loquitur quod dicti decanus et capitulum premissa fecerint rationabiliter et iuste, quia idem canonicus eis obedire nolebat in aliquo nec eorum inhibitionem parere. Item requisitus super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et canonici predicte capelle post appellationem et cetera, dixit quod lite mota et pendente inter dictas partes in curia romana, dicti abbas et conuentus fecerunt vadiari dictos decanum et capitulum per gentes domini ducis *Burgundie*, contra quemdam constitutionem prouincialis concilii lugdunensis apud *Matisionum* celebrati editam, propter quod dicit ipse qui loquitur dictos abbatem et conuentum excommunicationis sententiam incurrisse et occasione dicte vaditionis et propter hoc quod dicti abbas et conuentus molestari parabant ipsos decanum et capitulum ac eorum homines per dictas gentes molestari, predicti decanus et capitulum ordinauerunt quod nihil traderetur

Art. 11, 12. eisdem abbati et conuentui de juribus que habere et percipere consueuerant in dicta capella et noluerunt ex tunc eis super hoc respondere. Requisitus de loco ubi fuit ordinatio huiusmodi facta, dixit quod in dicta capella presenti decano et ipse qui loquitur et quibusdam aliis canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit. Interrogatus de tempore dixit quod bene sunt quatuor anni vel amplius elapsi; de hora, dixit quod non recolit. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod propter predicta et occasione predictorum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera; dixit quod vox communis est et fama publica et diu fuit quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt per longum tempus in predicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et quod predicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt grossos fructus unius prebende in dicta capella et panem et vinum et distributiones cothidianas seruiendo in ea per unum de canonicis suis, sicut unus ex canonicis dicte capelle, tempore litis mote ratione cuius agitur inter ipsas partes et quod, eadem lite mota et pendente in curia Romana, decanus et capitulum et canonici dicte capelle denegauerunt et recusauerunt respondere predictis abbati et conuentui de distributionibus cothidianis pane et vino et de grossis fructibus dicte prebende, et hoc fecerunt dicti decanus et capitulum prout dicit ipse qui loquitur propter causas predictas. Interrogatus quante etatis sit ipse qui loquitur dixit quod bene est etatis septuaginta quinque annorum. Item interrogatus quid est dicere publica vox et fama dixit ut supra. Interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod ipse est libere conditionis et presbyter et canonicus

predicte capelle et curatus de *Lantanaio* lingonensis diocesis. Item interrogatus quantum habeat in bonis, dixit quod super hoc non responderet ne super hoc respondere tenebatur. Interrogatus quam partem mallet obtinere in dicta causa, dixit quod illam que haberet jus in ipsa. Item interrogatus utrum unquam fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato et utrum istud deponat rogatus, doctus, instructus prece vel pretio, odio, amore, timore, gratia vel fauore, dixit per juramentum suum quod non.

Quartus testis.

Art. 2, 6, 9, 10. Magister *Aymo* de *Auxona* canonicus predicte capelle testis productus et parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi Diuionis* et cetera, dixit quod ipse credit dictum articulum verum esse quia bene sunt viginti sex anni elapsi quod ipse est canonicus dicte capelle et ex tunc ipse vidit seruire in dicta ecclesia et plura tempora per unum de canonicis *sancti Stephani* et vidit quod ille qui seruiebat in eadem portabat corpus christi pluries et ibat ad audiendas confessiones parochianorum dicte ecclesie infirmorum. Item requisitus super sexto articulo dixit se nihil scire, nisi quod credit quod quicquid est in castro *Diuionis* prout muri claudunt est in parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi,* excepta predicta ecclesia quam dicit esse exceptam et exceptis domibus decani et capituli eiusdem capelle. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit quod bene vidit quamdam compositionem que olim facta fuit inter partes predictas ut apparet et tenere ipsius super integritate unius prebende quam petebat ecclesia *sancti Stephani* in dicta capella et super

Art. 11, 12. pluribus aliis contentis in eadem compositione et legit dictam compositionem et credit quod duo vel tria sigilla erant appensa eidem compositioni et continebatur in ea quod *Odo* olim dux *Burgundie* eamdem compositionem laudauit et quod eam faceret fideliter obseruari et ad petitionem utriusque partis manu tenere promisit. Item requisitus super undecimo articulo, dixit quod ipse vidit dictam compositionem obseruari inter dictas partes in eo videlicet quod mandatum abbatis et conuentus *sancti Stephani* predicti bis vel ter computauit cum capitulo et canonicis dicte capelle, qui tunc presentes erant in ipsa capella, super grossis fructibus unius prebende ipsius capelle et computatum fuit inter eos quod abbas et conuentus predicti debebant habere, quolibet anno, duodecim libras turonenses pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle quam debebant percipere virtute dicte compositionis. Interrogatus de nominibus eorum qui computauerunt pro dictis abbate et conuentu et cum quibus factum fuit dictum computum super dictis grossis fructibus, dixit quod cum domino *Radulpho* decano nunc oschariensi mandato ad hoc dictorum religiosorum. Requisitus de tempore, dixit quod bene sunt sex anni elapsi et videtur ipse qui loquitur quod bene sunt duodecim anni elapsi vel circa quod ipse vidit et audiuit alias super hoc computari in dicta capella et distributiones cothidianas vidit solui communiter pluribus vicibus et per plures annos uni de canonicis *sancti Stephani* seruienti in dicta capella pro ipsa ecclesia *sancti Stephani* sicut ipsi qui loquitur, vel uni ex canonicis ipsius capelle. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod de predictis articulis super quibus et supra requisitus fuit et est publica vox et fama pro ut firmiter credit apud predictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle, hoc excepto quod nescit quod fama sit quod dicta

Art. 13, 32, 35. capella sit edificata nec fundata in dicto parochiatu *sancti Medardi*. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod a pluribus et communiter dicitur. Interrogatus unde primo habuit originem huiusmodi fama et vox, dixit quod nescit. Item requisitus super tertio decimo articulo, dixit quod credit quod super dicta discordia dicte partes coram dicto duce seu eius commissariis comparuerint et coram ipsis de predictis et super dicta discordia litigauerunt partes predicte sed nescit utrum sponte vel liberaliter vel etiam ex vi dicte compositionis, dicens ipse qui loquitur quod bene sunt septem anni elapsi quod decanus dicte capelle ipse qui loquitur et pluries alii canonici dicte capelle comparuerunt coram dicto domino duce apud *Joigneium* contra dictos abbatem et conuentum, qui impetebant ipsos decanum et capitulum et canonicos capelle predicte coram dicto domino duce super aliquibus de contentis in dicta compositione, et cum ipse dux vellet super hoc cognoscere ex parte dictorum decani et capituli, fuit ex hoc ad sedem apostolicam appellatus. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod abbas et conuentus predicti habuerunt per plures annos et duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle et super hoc vidit computari prout supra dixit ipse qui loquitur et vidit per plura tempora a viginti sex annis citra quod dicti abbas et conuentus habuerunt et tenuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in eadem capella, sicut unus ex canonicis ipsius capelle et tantum percipiebat idem canonicus *sancti Stephani* de distributionibus cothidianis in dicta capella quantum unus de

Art. 36 à 40. canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et cetera, dixit quod a dicto tempore quo fuit canonicus dicte capelle citra ordinatum fuit pluries per decanum et capitulum dicte capelle, presente ipso qui loquitur, quod cellerarius institutus ab eis reciperet fructus et bona prouenentia occasione dicte capelle ex parte dictorum decani et capituli distribuenda per ipsum cellerarium equaliter inter canonicos dicte capelle, sed nunquam audiuit nec vidit quod dicti religiosi pro grossis fructibus unius prebende capelle predicte perceperunt vel habuerunt nisi duodecim libras sicut supra dixit ipse qui loquitur. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit per juramentum suum quod a viginti sex annis predictis ipse vidit quasi continuo usque ad quinque vel ad sex annos proximo preteritos quod unus ex canonicis *sancti Stephani* predicti per quem dicti abbas et conuentus servierunt in dicta capella pro se ecclesia *sancti Stephani* percipiebat de pecunia que in singulis annis canonicis dicte capelle solui consueuit pro anniversariis tantum quantum unus de canonicis ipsius capelle, dicens quod istud est notorium in dicta capella. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod ita vidit per tempus proximo dictum ab eo. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit se nihil scire nisi quod perceperunt de bonis dicte capelle duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende sicut predixit ipse qui loquitur. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit se nihil scire quod credit quod fama sit de dictis duodecim libras pro grossis fructibus et de pecunia que solui consueuit pro anniversariis sicut supra dixit

Art. 41 à 46. ipse qui loquitur. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod nunquam scivit quod abbas et conuentus perceperent in dicta capella pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle nisi duodecim libras, sed a viginti quatuor annis citra prebende dicte capelle diuise fuerunt per decanum et capitulum ter, presente ipso qui loquitur, dictis abbate et conuentu percipientibus dictas duodecim libras pro dictis grossis fructibus tempore quo due prime diuiones facte fuerunt, dicens quod canonici dicte capelle nunc residentes et seruientes ibidem habent prebendas distinctas et assignatas et quilibet eorum scit ubi debet percipere prebendam suam. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisierunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia audiuit dici in dicta capella a quibusdam de canonicis ipsius de quorum nominibus non recolit, quia petitum fuerat ex parte dictorum abbatis et conuentus a dictis decano et capitulo quod assignarent eis certam et distinctam prebendam sicut assignauerant canonicis dicte capelle, sed non recolit utrum fuerit presens dicte requisitioni. Item requisitus super quadragesimo quarto articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod de dicti decanus et capitulum et canonici et cetera, dixit quod credit quod dicti decanus et capitulum requisiti fuerunt prout in dicto articulo continetur et quod recusauerunt et recusant distinctam prebendam eidem ecclesie *sancti Stephani* assignare et partem dicte pecunie que pro anniversariis solui consueuit soluere sicut uni de canonicis dicte capelle. Item requisitus super quadragesimo sexto articulo dixit se nihil scire sed dixit quod a decem annis citra dicti decanus et

Art. 47 à 51, 60 à 63. capitulum recusauerunt dictis abbati et conuentus assignare prebendam distinctam. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo dixit se nihil scire dicens tamen quod grossi fructus cuiuslibet prebende distincte non excedunt singulis annis summam sexdecim librarum turonensium. Item requisitus super quadragesimo, octauo et nono articulis dixit se nihil scire, nisi quod dicti religiosi consueuerunt percipere pro prebenda cuiuslibet defuncti canonici dicte capelle duodecim libras turonenses et non plus ; dicens quod super perceptione dictarum duodecim librarum pro prebenda defuncti canonici dicti capelle non vidit seu audiuit ipse qui loquitur quod esset contentio inter partes predictas. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod dicta capella exempta est nec est in aliquo parochiatu, dixit tamen quod credit residuum dicti articuli verum esse in quantum circuitus murorum castri *Diuionis* continet, quia quicquid est intra dictum castrum excepta dicta capella est in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi* prout semper se audiuisse et vidisse dicit ipse qui loquitur a tempore quo fuit canonicus dicte capelle. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter et cetera, dixit quod vidit contineri in quodam privilegio quod dicte capelle habet curam animarum ducis et ducisse et non solui habet curam eorum idem decanus primo habet curam animarum presbyterorum et clericorum dicte capelle. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus et cetera, dixit quod nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo, secundo et tertio articulis dixit se nihil scire, nisi quod credit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* sit baptismalis ad sint fontes in ea in quibus pueri baptisantur et quod intellexit et audiuit

Art. 64 à 69. dici a quibusdam de quorum nominibus ad presens non recolit quod dicti religiosi *sancti Stephani* consueuerunt percipere et habere decimas de quibusdam terris et vineis sitis in territorio diuionensensi. Item requisitus super sexagesimo quarto, quinto et sexto articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et canonici se opponunt et cetera, dixit quod dictus articulus verus est. Requisitus quomodo scit, dixit quod audiuit dici pluries a dictis decano et capitulo quod non tenentur soluere decimam dictis religiosis *sancti Stephani* propter hoc quia sunt exempti et immunes a solutione decimarum facienda dictis religiosis de rebus quas possident in territorio *Diuionis*. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo, dixit se nihil scire, nec scit quod dicti decanus et capitulum aliquas vineas nomine dicte capelle post dictam compositionem acquisierint. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod ipse credit quod fama et vox fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est ecclesia baptismalis et quod terre et vinee siti intra fines parochiatuum predictarum pertinentium ad dictam ecclesiam *sancti Stephani* consueuerunt esse decimales abbati et ecclesie predictis et quod dicti religiosi perceperunt et receperunt et percipi et recipi fecerunt decimas de terris et vineis sitis intra parochias pertinentes ad ipsos in territorio *Diuionis* et quod fuerunt in possessione juris percipiendi predicta, exceptis terris et vineis illorum de dicta capella, et quod dicti decanus et capitulum se opposuerunt et opponunt ne de vineis suis propriis, nec de illis quas acquisiuerunt post dictam compositionem, soluantur decime religiosis predictis ; interrogatus quid est dicere publica vox et fama et unde habuit originem huiusmodi fama et vox dixit ut supra. Item requisitus

Art. 76 à 90. super septuagesimo sexto, septimo et octauo articulis dixit se nihil scire, nisi quod vox et fama fuit et est prout credit quod recusauerunt et soluere recusant decimas de vineis quas possident in territoriis in quibus dicti religiosi consueuerunt decimas percipere et habere. Item requisitus super septuagesimo nono, octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire nisi quod credit quod predicti fructus valuerunt et valere potuerunt quolibet anno viginti duas libras turonenses. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio per aliqua tempora fuit et cetera, dixit quod dicta compositio fuit obseruata in eo quod dicti religiosi perceperunt per plures annos duodecim libras turonenses de bonis dicte capelle pro grossis fructibus unius prebende ipsius capelle et in eo quod perceperunt per canonicum per quem seruierunt in dicta capella distributiones cothidianas dicte capelle, sicut unus ex canonicis eiusdem et panem et vinum et in eo quod, quando contigit aliquem de canonicis dicte capelle mori, ipsi perceperunt duodecim libras turonenses pro prebenda ipsius canonici defuncti. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit et audiuit a tempore quo fuit canonicus usque ad tempus litis mote in curia romana. Item requisitus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle et cetera, dixit quod bene sunt decem et nonem anni elapsi vel circa prout sibi videtur quod ipse jurauit se seruaturum dictam compositionem in presentia fratris *Girardi*, quondam dicti monasterii *sancti Stephani* abbatis, et quorumdam aliorum de quorum nominibus non recolit. Interrogatus quis erat abbas tunc dicti monasterii, dixit quod idem frater *Girardus*. Interrogatus quis erat tunc decanus dicte capelle dixit quod dominus *Artaudus*, predecessor magistri *Lamberti* tunc decani dicte capelle, erat tunc decanus.

Art. 91 à 93. Item requisitus super nonogesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod in ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod ipse qui loquitur jurauit se seruaturum dictam compositionem in ecclesia *sancti Stephani* predicti super magnum altare, tangendo ipsum altare propria manu sua, sed non recolit de aliis qui dictam compositionem jurauisse dicuntur. Item requisitus nonagesimo secundo et nonagesimo tertio articulis, dixit quod bene credit quod decanus et canonici predicte capelle qui nunc sunt requisiti ut dictum juramentum prestarent et fidelitatem predictam habet facere noluerunt et adhuc nolunt et de hoc est fama apud dictam capellam et etiam de hoc quod plures canonici dicte capelle fecerunt dictum juramentum, nec recolit ipse qui loquitur quod audiuit requiri canonicos dicte capelle quod dictum juramentum fecerunt, nisi de magistro *Johanne Escharny*, canonico dicte capelle, quem audiuit super hoc requiri ex parte dictorum abbatis et conuentus, non est diu postquam idem magister *Johannes Escharny* fuit factus canonicus dicte capelle.

Art. 1, 2. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod a viginti sex annis proximo elapsis usque ad tres annos vel circa proximo preteritos ipse qui loquitur vidit quod dicti religiosi et ecclesia *sancti Stephani* predicti tenuerunt et habuerunt ac in possessione vel quasi fuerant juris tenendi et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quod ita vidit per plura tempora quando ibat ad dictam capellam. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus et cetera, dixit se nihil scire nisi quod audiuit dici a pluribus

Art. 3 à 5. canonicis dicte capelle et a pluribus et capellanis quod idem canonicus *sancti Stephani* consueuerat facere primam ebdomadam post ipsum decanum. Item requisitus super tertio articulo dixit quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt per plures annos a viginti sex annis citra duodecim libras turonenses pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle et ita sciuit et audiuit pluries computari in eorum capitulo duodecim libras turonenses pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle, quam dicti religiosi et ecclesia *sancti Stephani* in dicta capella percipere consueuerunt et habere et in possessione, vel quasi fuerunt per plures annos habendi et percipiendi dictas] duodecim libras pro dictis grossis fructibus, quia vidit postquam fuit canonicus ipse qui loquitur per aliqua tempora quod nulla contentio erat super hoc inter partes predictas. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod ipse vidit per plura tempora et pluribus vicibus quod abbas et conuentus predicti seruientes in dicta capella per unum de canonicis suis perceperunt et habuerunt et in possessione vel quasi fuerunt percipiendi et habendi panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella, sicut unus de canonicis dicte capelle, et ita vidit pluries a tempore quo fuit canonicus usque ad decem annos proximo preteritos. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit per juramentum suum quod ipse credit quod tempore appellationis predicte ratione cuius appellationis agitur inter ipsas partes, dicti abbas et conuentus erant in possessione vel quasi percipiendi panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle et duodecim libras turonenses pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle. Interrogatus

Art. 6 à 9. de tempore quo facta fuit appellatio predicta, dixit quod bene sunt septem anni elapsi prout supra dixit ipse qui loquitur in tertio decimo articulo. Interrogatus de anno, mense et die, dixit quod non recolit. Interrogatus quis erat tunc abbas dicti monasterii, dixit quod frater *Hugo* qui adhuc modo est. Interrogatus et quis erat decanus dicte capelle, dixit quod magister *Lambertus* tunc erat decanus et adhuc est. Item requisitus super sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super septimo articulo qui sic incipit. Item quod post appellationem et lite mota et cetera, dixit quod decanus et capitulum et canonici predicte capelle post appellationem predictam denegaverunt et recusauerunt respondere abbati et conuentui predictis de dictis distributionibus pane et vino et grossis fructibus unius prebende dicte capelle, prout credit et intendit ipse qui loquitur, sed nescit utrum irrationabiliter et injuste. Item requisitus super octauo articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente et cetera, dixit quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt eisdem abbati et conuentui predicta sicut credit et intendit sed nescit utrum eosdem abbatem et conuentum suis juribus supradictis indebite spoliando. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et cetera, dixit quod cum canonicus *sancti Stephani* quem dicti abbas et conuentus tenuerunt in dicta capella ut dictum est, vellet sedere et sibi jus sedendi vindicare in dicta capella in prima sede post dictum decanum et priman ebdomadam post ipsum decanum facere contra voluntatem dictorum decani et capituli et canonicorum dicte capelle, dicti decanus et capitulum et canonici propter causam predictam non permiserunt dictum canonicum in dicta sede sedere, nec dictam capellam intrare, nec dictam priman ebdomadam post ipsum decanum facere. Requisitus de tempore, dixit quod post appellationem dictam per tres aut quatuor

Art. 10 à 12. annos vel circa. Interrogatus quomodo scit premissa, dixit quod istud est notorium et certum in dicta capella, dicens tamen ipse qui loquitur quod nescit utrum decanus et capitulum et canonici premissa fecerunt irrationabiliter et injuste. Item requisitus super decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit et cetera, dixit quod publica vox et fama est et fuit apud dictas ecclesias a tempore quo ipse qui loquitur fuit canonicus dicte capelle citra et credit quod diu ante fuit quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt per longa tempora et fuerunt in possessione vel quasi tenendi et habendi in predicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quod canonicus quem ibidem habuerunt et tenuerunt, ut dictum est, faciebat aliquotiens priman ebdomadam post decanum dicte capelle et quod habuerunt duodecim libras turonenses et perceperunt de bonis dicte capelle pro grossis fructibus unius prebende in dicta capella et panem et vinum et distributiones cothidianas in predicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quod credit quod fama est et fuit apud dictas ecclesias quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* erant in possessione predicta, vel quasi videlicet percipiendi dictas duodecim libras pro dictis fructibus panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella tempore appellationis emisse ex parte dictorum decani et capituli, ratione cuius appellationis agitur inter dictas partes, et etiam tempore litis mote et pendentis inter ipsas partes et quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle denegaverunt respondere dictis abbati et conuentui de distributionibus cothidianis pane et vino et de grossis fructibus unius prebende dicte capelle, dicens quod nescit utrum sit

fama quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle subtraxerunt predicta eisdem abbati et conuentui eos suis juribus supradictis indebite spoliando, immo credit quod juste et cum causa rationabili, dicens etiam ipse qui loquitur quod apud dictam capellam fuit et est vox et fama quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle non permiserunt dictum canonicum *sancti Stephani* sedere in prima sede post dictum decanum, nec etiam capellam intrare, nec priman ebdomadam post ipsum decanum facere; immo vidit aliquotiens ipse qui loquitur quod quando dictus canonicus *sancti Stephani* veniebat ad dictam capellam circa tres vel quatuor annos vel circa nuper elapsos, canonici dicte capelle qui tunc erant in ipsa capella presentes faciebant firmari hostia dicte capelle ne idem canonicus dictam capellam intraret et ne in dicta sede sederet contra voluntatem eorumdem. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit ut supra. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod nescit. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod sibi videtur quod tempus XL annorum sit longum. Item interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod libere. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod centum libras turonenses parvorum et amplius. Interrogatus quam partem mallet obtinere in causa, dixit quod illam que de jure obtinere debebat. Item interrogatus utrum fuerit damnatus de aliquo crimine vel priuato et si predicta deposuit rogatus, vel doctus, seu instructus ab aliquo et utrum prece vel precio habito, vel habendo odio, amore, gratia, vel timore super hoc ferat testimonium, dixit per juramentum suum quod non.

Quintus testis.

Dominus *Guido* dictus *Gingon* presbyter canonicus dicte capelle ducis ac rector ecclesie de *Mormans* cabilo-

Art. 2, 6, 9 à 11. nensis diocesis, testis productus ex parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum, juratus, receptus et diligenter examinatus. Requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit per juramentum suum quod ipse credit firmiter dictum articulum verum esse, quia ipse vidit bene sunt quadraginta anni elapsi et amplius quod ipsa ecclesia *sancti Medardi* consueuit gubernari et adhuc gubernatur per unum de canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* et ita vidit a dicto tempore circiter dicens ipse qui loquitur quod communiter dicitur nec unquam audiuit dici contrarium quod dicta ecclesia *sancti Medardi* immediate respondet et respondet abbati et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* diuionensis. Interrogatus de limitibus ipsius parochie *sancti Medardi* et quantum se extendunt dicti limites, dixit quod ipse audiuit dici pluries a dicto tempore citra et ita dicitur communiter apud *Diuionem* et etiam ita credit ipse qui loquitur quod quicquid est intra muros castri *Diuionis* excepta capella predicta exceptis domibus canonicorum ipsius capelle et domo ducis est in parochiatu et de parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi*. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici pluries et a pluribus de quibus non recolit quod quedam compositio olim facta fuit inter partes predictas in qua continebatur quod ecclesia *sancti Stephani* predicta haberet unam prebendam integram in dicta capella et quod ipsa compositio fuerat per sedem apostolicam confirmata. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et cetera, dixit quod credit quod fuit obseruata a dictis partibus per aliqua tempora quia vidit a dicto tempore citra per

Art. 12, 13, 32, 35 à 46. plures annos quod nulla erat dissentio inter dictas partes super dicta compositione. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, exceptis hiis que supra excepit. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama dixit quod illud quod dicitur communiter a pluribus prout sibi videtur. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod nescit. Item interrogatus quando primo et quando secundo premissa audiuit, dixit quod non recolit nisi quod pluries ita audiuit a dicto tempore citra. Item requisitus super tertiodecimo et tricesimo secundo articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera. Item requisitus super tricesimo sexto, septimo, octauo, nono et quadragesimo articulis, dixit quod credit dictos articulos veros esse nec alias curans deponere vel causam reddere de ipsis sufficienter requisitus, nisi quod bene sunt triginta anni elapsi quod ipse vidit quod dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle cui soluebatur per illum qui distribuebat in dicta capella de pecunia que solui consueuit pro anniversariis tantum quantum uni de canonicis dicte capelle et similiter de distributionibus cothidianis et a dicto tempore citra per plures annos ita vidit fieri qui loquitur et quod dicti religiosi percipiebant panem et vinum et grossos fructus unius prebende prout credit in dicta capella. Item requisitus super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis sibi singulariter expositis, dixit se nihil scire, nisi quod ipse credit quod dicti decanus et capitulum recusauerunt et recusant assignare dictis abbati

Art. 47 à 51, 60, 61. et conuentui distinctam prebendam. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod fructus et exitus et prouentus et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse distributionibus cothidianis computatis : super quadragesimo octauo articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo, dixit quod ipse credit quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle non permittunt quod ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani* parciantur prebendam cuiuslibet defuncti canonici dicte capelle per annum, sicut ipse canonicus percipiebat distinctam, immo solumodo in bursa capituli dicte capelle. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella et cetera, dixit quod notorium est apud *Diuionem* quod quicquid est in castro diuionensi in quo dicta capella sita est pro maiori parte, excepta dicta capella et domo ducis cum pertinentiis suis et exceptis domibus decani et capituli et canonicorum dicte capelle et quicquid aliud est in dicto castro circa dictam capellam, hiis exceptis que supra excepit, est in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi,* que est et esse consueuit monasterii *sancti Stephani* pleno jure prout credit ipse qui loquitur et prout vidit a quadraginta annis citra, dicens etiam quod ipse credit quod quedam domus quia nuper acquisiuit decanus dicte capelle sita in dicto castro est in parochiatu *sancti Medardi.* Item requisitus super quinquagesimo primo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod ipse credit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et fuit ecclesia parochialis et baptismalis sed nescit si fuerit ab antiquo. Item requisitus super sexage-

Art. 62 à 69, 76 à 93. simo secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire nisi quod credit quod plures domus site in castro diuionensi sunt censuales ecclesie, abbati et conuentui *sancti Stephani* et quod perceperint et receperint et percipi et recepi fuerint census ex pluribus domibus dicti castri quia pluries vidit a quadraginta annis circiter seruientes *sancti Stephani*, euntes per dictum castrum et petentes census et recipientes a nullis qui habebant domos in ipso castro et vadiantes plures qui nolebant soluere dictos census. Item requisitus super septuagesimo sexto, septimo, octauo et nono aticulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo articulo qui sic incipit, item quod computatis omnibus et cetera. Item requisitus super octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono, nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a quibusdam de quorum nominibus non recolit ad presens quod quidam de canonicis dicte capelle juraverant se seruaturos quemdam compositionem olim factam inter dictas partes.

Art. 1, 2. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus qui sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit dictum articulum verum esse hoc excepto quod nescit de longeuis temporibus nec quo jure dictum canonicum tenuerunt in ipsa capella nisi jure dicte compositionis : Requisitus quomodo scit quod tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod bene sunt triginta anni elapsi quod ipse ita vidit et a triginta annis preteritis proximo usque circa quatuor annos nuper elapsos ita vidit per plura tempora quando fuit in dicta capella. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus et cetera, dixit se nihil scire,

Art. 3 à 9. nisi quod adhuc non sunt quatuor anni elapsi quod ipse vidit fratrem *Hugonem* dictum *Millot* canonicum *sancti Stephani* predicti sedere in dicta sede contra voluntatem et inhibitionem dictorum decani et capituli. Item requisitus super tertio articulo dixit se nihil scire, nisi quod ipse credit quod a dicto tempore circiter per plures annos dicti abbas et conuentus perceperunt grossos fructus unius prebende in bursa capituli dicte capelle. Item requisitus super quarto articulo dixit quod ipse vidit a dicto tempore usque ad quatuor annos proximo preteritos vel circa quod dicti abbas et conuentus seruierunt in dicta capella per unum a canonicis suis et tenuerunt unum canonicum regularem in eadem qui percipiebat distributiones cothidianas, sicut unus ex canonicis dicte capelle et quod ipse vidit quod dicti abbas et conuentus percipiebant panem et vinum in dicta capella et perceperunt per plura tempora sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quinto articulo, dixit quod credit ipsum verum esse. Item requisitus super sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super septimo articulo qui sic incipit. Item quod post appellationem et cetera, dixit quod ipse credit post appellationem de qua agitur decanus et capitulum et canonici dicte capelle denegauerunt et recusauerunt respondere dictis abbati et conuentui *sancti Stephani* de distributionibus cothidianis pane et vino et grossis fructibus unius prebende dicte capelle, propter hoc quod canonicus *sancti Stephani* qui seruiebat in dicta capella nolebat facere ebdomadam suam in dicta capella illo modo quo deberet. Item requisitus super octauo articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo dixit de eiectione seu expulsione dicti canonici nihil sciuit sed inhibitum fuit eidem canonici presente ipso qui loquitur ex parte dictorum decani et capituli ne sederet in dicta sede post dictum decanum et ne faceret primam ebdomadam in dicta

Art. 10 à 12. capella post eumdem decanum. Item requisitus super decimo articulo, dixit se nihil scire, immo credit quod non continet veritatem. Item requisitus super undecimo et duodecimo articulis, dixit se nihil scire. Item interrogatus cuius conditionis sit ipse qui loquitur, dixit quod libere : Interrogatus quantum habeat in bonis, dixit quod valorem centum librarum turonensium paruorum et amplius. Item interrogatus utrum fuerit doctus seu instructus ab aliquo ut ita deponeret et utrum prece vel precio et cetera, super hoc facto testimonio dixit quod non.

Sextus testis.

Art. 2, 6 à 12. Dominus *Eschardus* de *Talento* presbyter canonicus predicte capelle ducis *Burgundie* testis productus in dicta causa ex parte dictorum religiosorum contra decanum et capitulum predictos receptus, juratus et examinatus. Requisitus per suum juramentum super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia bene sunt viginti anni elapsi quod ipse est canonicus dicte capelle et vidit quod gubernatur dicta ecclesia *sancti Medardi* per unum de canonicis *sancti Stephani* diuionensis et fuit gubernata a dicto tempore circiter, nec audiuit dici quod pertineat seu pertinuerit nisi ad monasterium *sancti Stephani* predicti. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit per juramentum suum se nihil scire nec super nono nisi quod audiuit dici quod quedam compositio facta fuit olim inter dictas partes que faciebat mentionem de vineis predicte capelle. Item requisitus decimo et undecimo articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item

Art. 13, 32, 35 à 37. quod de predictis fuit et cetera, dixit quod vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod ecclesia *sancti Medardi Diuionis* pertinet ad dictum monasterium *sancti Stephani* et quod olim inter dictas partes facta fuit quadam compositio. Item requisitus super tertio decimo et tricesimo secundo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare doctus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod bene audiuit dici quod dicti abbas et conuentus habuerunt in dicta capella unam prebendam. Requisitus a quibus audiuit, dixit quod non recolit. Requisitus de tempore, dixit quod a viginti annis circiter; de loco, dixit quod in dicta capella et alibi. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictorum compositionum et cetera, dixit quod a duodecim annis circiter per aliquos annos ipse vidit et sciuit quod fructus redditus obuentiones et bona prouenentia occasione dicte capelle per aliqua tempora recipiebantur a cellerario dicte capelle et per ipsum cellerarium distribuebantur prout credit equaliter inter canonicos, sed nescit nec sciuit quantam partem percipiebat ecclesia abbatis et conuentus *sancti Stephani*, nec audiuit dici quantum idem cellerarius distribuebat dictis abbati et conuentui de dictis bonis, nisi quod audiuit pluries dici quod percipiebant grossos fructus unius prebende. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod pluries vidit a tempore quo fuit canonicus dicte capelle quod dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus de canonicis dicte capelle qui canonicus percipiebat et habebat de pecunia que singulis annis solui consueuit pro anniversariis tantum quantum unus

Art. 38 à 47. ex canonicis dicte capelle et dictam pecuniam vidit tradi eidem canonico et recepi ab eodem quando presens fuit ipse qui loquitur in dicta capella. Interrogatus quoties predicta vidit, dixit quod pluribus vicibus de quorum numero non recolit. Interrogatus quando primo predicta vidit, dixit quod bene sunt duodecim anni elapsi et amplius quod primo vidit et postea pluries ita vidit. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod de tempore compositionis predicte nihil scit sed ipse qui loquitur vidit pluries a duodecim annis citra per aliqua tempora quod seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis dicti abbas et conuentus idoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono et quadragesimo articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et conuentu predictis et cetera, dixit quod bene sunt duo anni elapsi quod decanus et capitulum dicte capelle diuiserunt et distinxerunt prebendas in dicta capella et canonici capelle ibidem residentes et seruientes habent prebendas distinctas et assignatas et quibus eorum scit ubi debet prebendam suam percipere, sed nescit utrum diuisio seu distinctio huiusmodi facta fuerit ipsis abbate et conuentu percipientibus prebendam in dicta capella et diuisioni seu distinctioni huiusmodi interfuit ipse qui loquitur ut dicit. Item requisitus super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod fructus exitus et prouentus et cetera, dixit per juramentum suum quod ipse qui loquitur percipit tantummodo pro grossis fructibus prebende sue quam habet in dicta capella duodecim libras nec aliud scit de dicto articulo. Item requisitus super quadragesimo

Art. 48 à 51, 60 à 69, 76 à 93. octauo et nono articulis, dixit se nihil scire nisi quod audiuit dici pluries a multis de quorum nominibus non recolit quod ecclesia et abbas *sancti Stephani* consueuerunt percipere in dicta capella per unum annum prebendam cuiuslibet defuncti canonici ipsius capelle. Item requisitus super quinquagesimo et super quinquagesimo primo articulis dixit se nihil scire nisi quod dicitur quod castrum de *Diuione* situm est in parochia *sancti Medardi* et intra fines dicte parochie. Item requisitus super sexagesimo, sexagesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, octauo, nono, septuagesimo sexto, septimo, octauo, nono, octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire nisi quod bene sunt sexdecim anni elapsi quod frater *Girardus* quondam abbas dicti monasterii *sancti Stephani* requisiuit ipse qui loquitur quod prestaret dictum juramentum et fidelitatem, de qua habetur mentio in ipsis articulis, faceret quod facere noluit ipse qui loquitur dicens eidem abbati quod nesciebat utrum hoc facere teneretur.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* tenuerunt et cetera, dixit per juramentum suum quod bene sunt duodecim anni elapsi quod ipse qui loquitur fecit primum stagium suum in dicta capella et ex tunc usque ad quatuor annos proximo preteritos quando erat apud *Diuionem* et tenebat ad dictam ecclesiam de capella, ipse vidit pluries et per plura tempora quod dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et etiam ita

Art. 2 à 12. vidit pluries a tempore quo fuit canonicus dicte capelle usque ad dictos quatuor annos. Item requisitus super secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod a dicto tempore quo fuit canonicus dicte capelle usque ad dictos quatuor annos vidit pluries et per plura tempora quod dictus canonicus regularis percepit distributiones cothidianas in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et dictas distributiones vidit tradi pluries ipsi canonico in choro dicte capelle et recipi ab eodem et audiuit dici communiter in dicta capella et alibi quod dicti abbas et conuentus perceperunt et habuerunt panem et vinum in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle sed nunquam vidit tradi sine distributione dictis abbati et conuentui huiusmodi panem et vinum. Item requisitus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo, undecimo et duodecimo articulis, dixit se nihil scire. Interrogatus cuius conditionis sit ipse qui loquitur dixit quod ipse est presbyter et libere conditionis. Item interrogatus quantum habeat in bonis dixit quod valorem centum librarum turonensium et amplius. Item interrogatus quam partem mallet obtinere in dicta causa dixit quod dictis decanum et capitulum. Item interrogatus utrum fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, dixit quod non. Item interrogatus si predicta deponere fuerit rogatus, doctus vel instructus, dixit quod non. Item interrogatus utrum prece vel pretio et cetera, super hoc ferat testimonium dixit quod non.

Septimus testis.

Nicolaus Lotharingus presbyter canonicus dicte capelle testis productus ex parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum, receptus, juratus et exami-

Art. 1, 6, 9 à 12. natus. Requisitus super primo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia sancti Medardi Diuionis dixit per juramentum suum quod bene sunt viginti anni elapsi vel circa quod ipse qui loquitur est canonicus predicte capelle et ex tunc ipse audiuit dici vulgariter quod dicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani*, diuionensis et immediate respondet et respondit abbati et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* diuionensis. Item requisitus super sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit quod ipse vidit et legit ac etiam tenuit et legere audiuit quemdam compositionem olim factam inter partes predictas, sigillatam sigillis decani et capituli predicte capelle et sigillis abbatis et conuentus predicti monasterii *sancti Stephani*, in qua continebatur quod *Odo* dux *Burgundie* eam laudauerit et cuius compositionis data erat anno gratie millesimo ducentesimo decimo septimo, sed nunquam vidit ipsam bullatam nec confirmatam. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit per juramentum suum quod dicta compositio obseruata fuit a viginti annis proximo preteritis usque ad tres vel ad quatuor annos immediate sequentes inter partes predictas. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit et recolit quod super contentis in dicta compositione nulla erat contentio seu briga primo obseruabantur pacifice inter dictas partes, dicens etiam ipse qui loquitur quod credit quod dicta compositio obseruata fuit a tempore quo fuit facta usque ad tempus quo *frater Odo* dictus *Verroquier*, canonicus dicti monasterii *sancti Stephani*, qui seruiebat in dicta capella pro ecclesia, abbate et conuentu *sancti Stephani* mouit et fecit brigam et contentionem contra dictos decanum et capitulum, quod fuit bene sunt decem et septem anni elapsi. Item requisitus super duodecimo articulo

Art. 13, 32, 35. qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit apud dictas ecclesias capelle et *sancti Stephani* quod dicta compositio fuit observata inter dictas partes per longa tempora. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod communiter dicitur vel quod multi dicunt. Interrogatus unde primo habuit originem ista vox et fama, dixit quod a compositione predicta quam pluries vidit et legit. Item interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus quadraginta annorum est longum prout sibi videtur. Item requisitus super tercio decimo articulo qui sic incipit. Item quod supradicta discordia et cetera, dixit quod ipse credit quod dicte partes litigauerunt super aliquibus de contentis in dicta compositione, coram dicto duce seu eius commissariis, sed credit quod dicti decanus et capitulum non comparebant nec litigabant sponte nec liberaliter nisi propter hoc quod tenebant offendere dictum ducem si recusarent comparere et litigare coram ipso seu eius commissariis. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit per juramentum suum quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et ceperunt et habere et percipere consueuit in predicta capella unam prebendam integram, sicut unus canonicus dicte capelle et ipsam perceperunt a dicta capella eodem modo quo canonici residentes et deseruientes in ipsa capella habuerunt et perceperunt. Requisitus quomodo scit, dixit quod a tempore quo fuit canonicus dicte capelle bene sunt viginti anni elapsi usque ad sex vel septem annos immediate sequentes ante litem motam ipse vidit, audiuit et presens fuit in capitulo dicte

Art. 36 à 39. capelle quod, quando cellerarius dicte capelle qui erat pro tempore computabat prout fieri consueuit coram dictis decano et capitulo, ipse computabat unam prebendam integram dicte capelle pro dictis abbate et conuentu *sancti Stephani* sicut pro uno de canonicis dicte capelle residente et dicebat se satisfecisse eisdem de dicta prebenda et ita vidit fieri ipse qui loquitur per plures annos nullo a dicto capitulo discordante vel contra dicente, nec erat super hoc contentio inter dictas partes. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictorum compositionum et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia pluries ita audiuit dici in dicta capella a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Requisitus quomodo scit, dixit quod a tempore predicto quo fuit canonicus dicte capelle usque ad quatuor annos proximo preteritos vel circa, ipse vidit per plura tempora quod unus de canonicis ecclesie *sancti Stephani* seruiens in dicta capella pro ipsa ecclesia *sancti Stephani* percipiebat de pecunia que in singulis annis canonicis dicte capelle solui consueuit pro anniuersariis et habebat tantum quantum unus de canonicis dicte capelle et ita vidit pluribus vicibus fieri in choro dicte capelle et plusquam cencies. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a tempore quo ipse qui loquitur dicte capelle fuit canonicus vidit per decem annos et amplius quod dicti abbas et conuentus seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis, sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod abbas et conuentus predicti perceperunt unam prebendam in dicta

Art. 40, 41. capella pluries sed credit quod quando dicti decanus et capitulum diuiserunt et diuidunt prebendas suas ipsi obmiserunt et obmittent assignare dictis abbati et conuentui prebendam distinctam et nolunt quod habeant prebendam distinctam nisi quod habeant prebendam unam in bursa capituli dicte capelle.

Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias quod abbas et conuentus predicti habuerunt et ceperunt et habere et percipere consueuerunt in dicta capella unam prebendam integram, sicut unus canonicus dicte capelle et quod iidem perceperunt a dicta capella eodem modo quo canonici residentes et deseruientes in dicta capella perceperunt et habuerunt et quod dicti abbas et conuentus seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis, sicut et unus ex canonicis dicte capelle et quod perceperunt unam prebendam de bonis dicte capelle et quod unus de canonicis ecclesie *sancti Stephani* seruiens pro ecclesia ipsa in dicta capella percipiebat et habebat de pecunia que solui consueuit pro annidersariis canonicorum dicte capelle tantum quantum unus de canonicis eiusdem capelle. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbate et conuentu predictis percipientibus et cetera, dixit per juramentum suum quod circa quindecim annos proximo preteritos dicte prebende diuise fuerunt in dicta capella per decanum et capitulum dicte capelle et similiter postea diuise fuerunt duabus vicibus per eosdem ita quod canonici residentes in dicta capella et desseruientes ibidem habent prebendas distinctas et assignatas et quilibet eorum scit ubi debet percipere prebendam suam et fuerunt huiusmodi diuisiones facte presente ipso qui loquitur, una cum dictis decano et capitulo dicens ipse qui loquitur quod distinctam preben-

Art. 42 à 46. dam non audiuit assignari nec vidit dictis abbati et conuentui immo credit ipse qui loquitur quod fuit distinctas dictorum decani et capituli quando facta fuit prima diuisio et ipsi abbas et conuentus prebendam unam percipient in bursa capituli dicte capelle soluendam eis per cellerarium ipsius capituli et credit firmiter ipse qui loquitur quod dicti decanus et capitulum diuiserunt dictas prebendas circa predictos quindecim annos ipsis abbate et conuentu percipientibus tunc XL paulo ante in dicta capella unam prebendam integram prout supradictum est. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisierunt et cetera, dixit quod bene sunt decem et septem anni elapsi quod dominus *Hugo Fautellus* et frater *Parisius* canonici dicti monasterii requisiuerunt in dicta capella dictos decanum et capitulum ex parte dictorum abbatis et conuentus quod ipsis abbati et conuentui assignarent etiam et distinctam prebendam sicut eam assignauerant singulis canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quod vidit, audiuit et presens fuit. Requisitus de astantibus die. mense et hora, dixit quod non recolit. Requisitus quis erat tunc decanus dicte capelle, dixit quod dominus *Artaudus* tunc erat decanus et frater *Girardus* immediate predecessor abbatis monasterii *sancti Stephani* qui nunc est, erat tunc abbas dicti monasterii. Item requisitus super quadragesimo quarto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod quando dicti decanus et capitulum fuerunt requisiti ut dictum est, dictum fuit ex parte eorum dictis domino *Hugoni* et cantori incontinenti quod non assignarent eisdem abbati et conuentui distinctam prebendam. Item requisitus super quadragesimo sexto articulo qui sic

Art. 47 à 50. incipit. Item quod a tempore huiusmodi subtractionis et cetera, dixit noluit deponere nisi quod dixit quod dicti abbas et conuentus nunquam habuerunt distinctam prebendam. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod fructus et cetera, dixit quod dictus articulus verus est distributionibus computatis causam scientie reddens, quia si unus de canonicis dicte capelle qui modo sunt et qui habet prebendam distinctam seruiat continue per annum in dicta capella ita quod nihil amittat prebenda sua potest sibi valere et valet communi extimatione viginti libras turonenses et plus in anno. Super quadragesimo octauo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod non vidit nec scivit quod abbas et conuentus predicti perceperunt prebendam alicuius canonici dicte capelle renunciantis vel religionem intrantis quia dicti canonicus et capitulum nolunt quod dicti abbas et conuentus percipiunt per annum prebendam distinctam que fuit defuncti canonici sicut ipse defunctus percipiebat sed ipsi nolunt percipere prebendam distinctam que fuit dicti defuncti et consueuerunt dictis abbati et conuentui satisfacere de bursa communi dicte capelle super dicta prebenda. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod dicitur vulgariter apud *Diuionem* quod totum castrum de *Diuione* est in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi* in quo castro predicta capella ducis sita est excepta quadam parte que se extendit extra muros dicti castri. Interrogatus de limitibus dicte parochie *sancti Medardi* et quantum se extendit dicti limites, dixit quod dicitur quod totum ipsum castrum prout circuitus murorum dicti castri assignat est in paro-

Art. 51, 60 à 69, 76 à 99.

chia *sancti Medardi* que est et esse consueuit prout communiter dicitur monasterii *sancti Stephani* predicti nec aliud scit super dicto articulo. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod ipse vidit et tenuit quoddam priuilegium concessum a sede apostolica dicte capelle ducis et decano ipsius quod erat bullatum bulla cuiusdam pape de cuius nomine non recolit, cum filo cerico pendenti, in quo quidem priuilegio continebatur inter cetera quod decanus ipsius capelle haberet curam ducis et ducisse, sed non recolit utrum viderit contineri in dicto priuilegio hoc quod est solius. Item requisitus super sexagesimo articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo articulo, dixit quod nihil scit, nisi quod vidit pluries pueros baptisari in dicta ecclesia et portari ad baptisandum. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo, dixit quod contenta in dicto articulo a viginti annis citra dici audiuit pluries nec aliud scit, nec recolit a quibus audiuit dici. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo dixit ita quia dicitur vulgariter apud *Diuionem* nec aliud scit. Item requisitus super sexagesimo quarto et quinto articulis, dixit se nihil scire, nec super sexagesimo sexto. Item requisitus super sexagesimo septimo et octauo articulis, dixit quod credit dictos articulos veros esse. Requisitus quare credit, dixit quod aliud non diceret seu causam aliam redderet. Item requisitus super sexagesimo nono articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod fructus et redditus et cetera, dixit quod fructus redditus et prouentus distributiones et ea quo proueniebant prouenire ac distribui poterant et debebant dictis abbati et conuentui ratione prebende dicte capelle quia percipie-

Art. 80 à 86, 89 à 93. bant et percipere consueuerant annuatim in dicta capella valebant et valere poterant communi extimatione viginti libras turonenses vel circa. Requisitus quomodo scit, dixit quod computatis omnibus premissis prebenda dicte capelle consueuit valere cuilibet canonico dicte capelle continuo residenti xx libras turonenses et ita audiuit dici a domino *Johanne* de *Corcellis* canonico dicte capelle et a *Petro* de *Marceio* clerico quondam cellerario dicti loci qui etiam dicebant quod aliquocies grossi fructus unius prebende dicte capelle valuerint canonicis residentibus continue computato pane et vino sexdecim libras turonenses. Item super octogesimo articulo, dixit quod credit ipsum articulum verum esse, dummodo perciperent pacifice omnia prouenientia ratione dicte capelle et seruirent in dicta capella per unum de canonicis suis continue, dicens etiam ipse qui loquitur, quod communis vox est apud dictam capellam quod prebenda dicte capelle omnibus computatis bene valet canonico ipsius continue residenti viginti libras. Item requisitus super octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod a tempore quo ipse fuit canonicus usque ad septem annos uel circa immediate sequentes ipse vidit solui vel totiens in dicta capella distributiones cothidianas uni canonico regulari seruienti in dicta capella pro ecclesia *sancti Stephani*, sicut uni de canonicis dicte capelle et similiter percipiebant dicti abbas et conuentus unam prebendam seu grossos fructus unius prebende dicte capelle pacifice per manum cellerarii dicte capelle et panem et vinum, sicut unus de canonicis dicte capelle et tunc obseruabatur dicta compositio inter partes predictas et observata fuit.

Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit quod bene sunt viginti

anni elapsi prout credit quod defunctus dominus *Artaudus* de *Mirabello*, tunc decanus dicte capelle ipse qui loquitur, et quidam alii canonici dicte capelle jurauerunt se seruaturos dictam compositionem in predicta ecclesia *sancti Stephani* super magnum altare dicte ecclesie. Requisitus de canonicis dicte capelle qui dictam compositionem jurauerunt una cum ipso et dicto decano, dixit quod non recolit. Item de anno, mense, die et septimana quibus jurauerunt ipse et dictus decanus, dixit quod non recolit. Interrogatus de hora, dixit quod ante prandium. Interrogatus de astantibus, dixit quod presentes erant tunc dictus decanus, ipse qui loquitur, frater *Girardus* tunc abbas dicti monasterii et frater *Parisius* nunc cantor eiusdem monasterii et plures alii de quorum nominibus non recolit, dixit etiam, ipse qui loquitur, quod ipse audiuit requiri tempore fratris Hugonis tunc abbatis monasterii ex parte dicti abbatis et conuentus sui magistrum *Johannem* de *Mormax* quondam canonicum dicte capelle quod dictam compositionem se seruaturum juraret qui jurare noluit et cetera, dixit ipse qui loquitur, quod decanus et canonici dicte capelle qui nunc sunt et qui non jurauerunt requisiti quod jurarent super dicta compositione jurare noluerunt, dicens quod vox communis est apud dictam capellam quod decanus et alii canonici dicte capelle qui non jurauerunt dictam compositionem eam nolunt jurare et recusant et jurare noluerunt se seruaturos dictam compositionem quam jurauit se seruaturum ipse qui loquitur.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et cetera, dixit per suum juramentum quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et in possessione vel quasi fuerunt juris tenendi et habendi in

Art. 2, 3. dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit a viginti annis nuper preteritis usque ad duos annos proximo preteritos per plura tempora et pluribus vicibus et per dictum temporis spatium ita vidit et unde potuit quocies venit et presens fuit ipse qui loquitur ad faciendum diuinum officium in dicta capella. Interrogatus quando primo vidit, dixit quod bene sunt xx anni elapsi vel amplius. Interrogatus quis tunc erat abbas dicti monasterii et quis decanus dicte capelle, dixit quod tunc erat abbas defunctus frater *Girardus* quondam abbas dicti monasterii et decanus capelle tunc erat defunctus *Artaudus* de *Mirabello* et ita vidit postea tempora fratris *Hugonis* nunc abbas dicti monasterii et tempore magistri *Lamberti* nunc decanus dicte capelle. Item interrogatus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit quod non credit nec scit quod dictus canonicus haberet propriam sedem sed ipsum canonicum vidit sedere aliquando in dicta prima sede et quandoque in alia et vidit ipse qui loquitur pluries quod dictus canonicus faciebat primam ebdomadam post ipsum decanum et facere consueuerat, nec aliud scit de dicto articulo. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et cetera, dixit per juramentum quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt et in possessione vel quasi fuerunt percipiendi et habendi grossos fructus unius prebende in dicta capella per decem annos vel amplius. Requisitus quomodo scit, quod bene sunt viginti anni elapsi quod ipse est canonicus dicte capelle et postea ipse audiuit et presens fuit quod quando cellerarius ipsius capelle qui erat pro tempore computabat quolibet anno prout fieri consueuit coram dictis decano

Art. 4. et capitulo ipse computabat grossos fructus unius prebende dicte capelle pro dictis abbate et conuentu et ecclesia *sancti Stephani* sicut pro uno de canonicis dicte capelle et dicebat dictos abbatem et conuentum huiusmodi grossos fructus habuisse vel se eis satisfecisse super ipsis et ita vidit fieri, ipse qui loquitur, per decem annos a dicto tempore quo fuit canonicus dixit insuper, ipse qui loquitur, quod ipse credit quod a tempore quo facta fuit dicta compositio usque ad tempus litis mote fiebat satisfactio ex parte dictorum decani et capituli de grossis fructibus unius prebende dicte capelle dictis abbati et conuentui prout ipse vidit postquam fuit canonicus dicte capelle per aliqua tempora sine contradictione. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit per juramentum suum quod ipse vidit solui pluries per plures annos in dicta capella dictas distributiones cothidianas a viginti annis circiter canonico qui seruiebat pro dicta ecclesia *sancti Stephani* in predicta capella, sicut uni ex canonicis dicte capelle et quod notorium est in predictis ecclesiis *sancti Stephani* et capelle et in locis continuis quod dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt panem et vinum in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item dixit ipse qui loquitur, quod bene sunt quatuor anni vel quinque elapsi quod dominus *Hugo Fautelli* et *Radulphus Testo Luppo* presbyteri consiliarii abbatis et conuentus predictorum computabant in dicta capella cum decano et capitulo ipsius capelle pro ipsis abbate et conuentu super grossis fructibus unius prebende dicte capelle quos dicebant dicti presbyteri ipsos decanum et capitulum debere dictis abbati et conuentui de quibusdam annis tunc proximo preteritis et audiuit ipse qui loquitur quod facto computo super hoc dicti decanus et capitulum debuerunt dictis abbati et conuentui quemdam certam summam pecunie

Art. 5 à 9. de qua non recolit et super dicta summa facta sunt littere sigillate sigillis dictorum decani et capituli ad opus dictorum abbatis et conuentus. Requisitus de astantibus, dixit quod magister *Lambertus* decanus dicte capelle, ipse qui loquitur, dicti *Hugo* et *Radulphus* et quidam canonici dicte capelle de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod pretendit de prima sede et de prima ebdomada post ipsum decanum et maxime quia post dictam appellationem factum fuit computum proximo dictum et vidit solui dictas distributiones prout predixit ipse qui loquitur.

Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod post appellationem factam a domino duce ex parte dictorum decani et capituli ipse audiuit computari ut proximo dixit et vidit solui dicto canonico de pecunia que solui consueuit pro anniuersariis in dicta capella tantum quantum uni de canonicis ipsius capelle et credit quod perceperunt panem et vinum in dicta capella post ipsam appellationem. Item requisitus super septimo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super octauo articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et cetera, dixit quod non seruiebant dicti abbas et conuentus in predicta capella prout debebant propter quod non soluebantur eis jura predicta nec aliud noluit dicere super dicto articulo sibi diligenter lecto et exposito. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et cetera, dixit per juramentum suum quod dicti decanus et capitulum eiecerunt nec expulserunt dictum canonicum de dicta capella nec de dicta sede, sed ex parte eorum presente ipso qui loquitur ad ipsis

Art. 10 à 12. in dicta capella hostia chori dicte capelle firmata fuerunt seu seruata ne idem canonicus intraret chorum dicte capelle nec permiserunt eum intrare dictum chorum, nec in dicta sede sedere, nec primam ebdomadam post ipsum decanum facere quia idem canonicus nolebat parere statutis dictorum decani et capituli, dicens, ipse qui loquitur, quod non credit quod dicti decanus et capitulum super hoc facerent dictis religiosis predictum neque injuriam. Item requisitus super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit per juramentum quod dictus articulus non est verus. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod propter predicta et occasione predictorum et cetera, dixit quod credit, quod dicti abbas et conuentus propter predicta damnificati fuerunt et sunt usque ad extimationem quatuor viginti librarum turonensium paruorum, sed hoc fuit propter culpam dictorum abbatis et conuentui sicut dicit ipse qui loquitur. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod vox communis et fama publica est et diu fuit apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt longeuis temporibus ac in possessione vel quasi fuerunt per longa tempora tenendi et habendi in dicta capella canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et quod habuerunt et perceperunt grossos fructus unius prebende et panem et vinum et distributiones cothidianas in predicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus viginti annorum est longum prout sibi videtur, dixit etiam ipse qui loquitur, quod communis vox est et fuit apud dictas ecclesias quod dicti religiosi erant in possessione vel

quasi percipiendi dictos grossos fructus unius prebende panem et vinum et distributiones per se vel per alium tempore appellationis emisse a dicto domino duce et quod dicti decanus et capitulum post dictam appellationem denegaverunt et recusauerunt respondere dictis abbati et conuentui de distributionibus cothidianis pane et vino et grossis fructibus dicte prebende et adhuc denegant et recusant sed hoc est et fuit propter culpam dictorum abbatis et conuentus prout dicit ipse qui loquitur. Interrogatus quid est dicere communis vox et fama publica, dixit quod illud quod vulgariter dicitur. Interrogatus a quo habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod a fratre *Odone* dicto *Verroquier* canonico dicti monasterii per quem dicti abbas et conuentus fuerunt in dicta capella per plures annos qui frater *Odo* impediebat dictos decanum et capitulum super administratione sacramentorum ecclesiasticorum facienda ex parte ipsorum capellanis et clericis chori dicte capelle. Interrogatus, ipse qui loquitur, quot annorum seu cuius etatis sit, dixit quod bene habet sexaginta annos. Interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod libere. Interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod valorem viginti librarum et amplius. Item interrogatus quam partem mallet obtinere in dicta causa, dixit quod dictos decanum et capitulum. Item interrogatus si unquam fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato et utrum fuerit doctus vel instructus et cetera, dixit quod non.

Octavus testis.

Art. 2. Dominus *Johannes* de *Sarcellis* presbyter canonicus predicte capelle testis productus ex parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum receptus et juratus : Requisitus super secundo articulo qui sic

Art. 6, 9 à 13, 32, 35. incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit quod nescit quod ipsa ecclesia *sancti Medardi* sit ecclesia parochialis, sed credit quod ipsa sit capella pertinens ad ecclesiam *sancti Stephani* et respondens abbati *sancti Stephani* predicti et regi consueuit per canonicos *sancti Stephani* et ita vidit a tempore quo fuit canonicus dicte capelle videlicet a viginti quinque annis circiter per plures annos. Item requisitus super sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit pluries legi in dicta capella quamdam litteram sigillatam quibusdam sigillis..... in qua mentio habebatur de quadam compositione olim facta inter dictas partes et in qua continebatur inter cetera quod *Odo* dux *Burgundie* dictam compositionem laudauit. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit quod ipse vidit a viginti quinque annis circiter per plura tempora quod nulla erat dissensio inter partes predictas et credit quod per illa tempora obseruabatur dicta compositio inter dictas partes nec aliud scit. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit se nihil scire, nec super tertio decimo, nisi quod credit quod dicte partes litigauerunt coram dicto domino duce vel eius commissariis. Item requisitus super tricesimo secundo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti non habuerunt et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Requisitus quomodo scit, dixit quod a tempore viginti quinque annorum citra ipse vidit per pluries annos quod dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella qui percipiebat distributiones cothidianas in dicta capella, sicut

Art. 36 et 37. unus ex canonicis dicte capelle et vidit et audiuit quod cellerarius dicte capelle qui erat pro tempore computabat coram dictis decano et capitulo duodecim libras monete currentis apud *Diuionem* pro grossis fructibus unius prebende quam percipiebant dicti abbas et conuentus in dicta capella pro grossis fructibus unius prebende et percipiebant similiter dicti abbas et conuentus panem et vinum in cellario dicte capelle sicut unus de canonicis ipsius capelle et ita vidit et audiuit pluries tempore domini *Artaudi* quondam decani dicte capelle et tempore magistri *Lamberti* nunc decani eiusdem capelle et coram tempore fratris *Girardi* quondam abbas dicti monasterii et tempore fratris *Hugonis* nunc eiusdem monasterii abbatis. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod a viginti annis citra per plura tempora dicti decanus et capitulum per cellerarium institutum ab eis recipi fecerunt fructus redditus, obuentiones et bona prouenentia occasione dicte capelle et per ipsum cellerarium distribuebantur equaliter inter canonicos et vidit, ipse qui loquitur, quod tantum inde percipiebat ab ipso cellerario ecclesia abbas et conuentus *sancti Stephani* quantum unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod a tempore quo ipse fuit canonicus dicte capelle et post per plures annos ipse vidit quod dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt in dicta capella fratrem *Nicolaum* dictum *Laudate* ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus de canonicis dicte capelle et vidit pluries et frequenter quod de pecunia que singulis annis solui consueuit canonicis dicte capelle pro anniversariis tantum percipiebat et habebat idem fratrer *Nicolaus* deseruiens in dicta capella pro dictis abbate et conuentu et eorum ecclesia quantum unus de canonicis

Art. 38 et 39. dicte capelle et eodem modo postea vidit de fratre *Odone* dicto *Verroquier* canonico dicti monasterii per plures annos. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a tempore quo ipse fuit canonicus ipse vidit per plura tempora et per plures annos quod abbas et conuentus dicti monasterii fuerunt in predicta capella usque ad quinque vel sex annos proximo preteritos per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut credit ipse qui loquitur sicut et unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quando primo et quando secundo ita vidit, dixit quod non recolit nisi quod pluries ita vidit prout supra dixit. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod perceperunt unam prebendam videlicet panem et vinum et distributiones pro anniuersariis et duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle, prout supra dixit ipse qui loquitur, et quod ipsis percipientibus unam prebendam modo predicto in dicta capella, dicti decanus et capitulum diuiserunt et distinxerunt prebendas in dicta capella et eas assignauerunt in dictis locis percipiendas a canonicis dicte capelle nec assignauerunt dictis abbati et conuentui aut eorum ecclesie certam prebendam et distinctam quia non tenentur ut dicit ipse qui loquitur eis assignare distinctam prebendam nisi solum ad dictas duodecim libras quas percipere consueuerunt in bursa communi capituli dicte capelle et presens fuit ipse qui loquitur diuisioni dictarum prebendarum que facta fuit pluries inter ipsos decanum et capitulum a viginti quinque annis circiter ut dicit, dixit etiam ipse qui loquitur, quod aliquanto tempore postquam fuit canonicus dicte capelle ipse vidit per aliquos annos quando dicte prebende non fuerunt diuise seu distincte quod quilibet canonicus dicte capelle

Art. 40 à 43. tunc residens in eadem percipiebat solummodo duodecim libras monete currentis in *Burgundia* pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle et tunc tantum percipiebat ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani*. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias quod dicti abbas et conuentus habuerunt et ceperunt et habere et percipere consueuerunt in predicta capella unam prebendam videlicet duodecim libras pro grossis fructibus illius prebende distributiones cothidianas et panem et vinum sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama dixit, quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod nescit.

Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare pro abbate et conuentu predictis percipientibus prebendam et cetera, dixit pro abbate et conuentu predictis percipientibus duodecim libras predictas pro dictis grossis fructibus ac pane et vino et distributionibus in dicta capella, prout supra dixit, bene sunt quindecim anni elapsi vel circa dicti decanus et capitulum diuiserunt et distinxerunt prebendas suas et postea etiam alias diuiserunt dictas prebendas in dicta capella presente ipso qui loquitur, ita quod canonici dicte capelle ibidem residentes et desseruientes haberent prebendas distinctas et assignatas et quilibet eorum scit ubi debet percipere prebendam suam. Requisitus quociens vidit diuidi dictas prebendas, dixit quod bis vel ter et hoc facere consueuerunt ut dicit, ipse qui loquitur, dicti decanus et capitulum quando placet eisdem. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisie-

Art. 44 à 51, 60 à 62. runt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse licet non interfuit dicere requisitori. Item requisitus super quadragesimo quarto et quinto articulis, dixit se nihil scire, dicens tamen quod credit quod dicti decanus et capitulum recusauerunt et recusant assignare prebendam distinctam dictis abbati et conuentui : de quadragesimo sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod fructus et exitus et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse distributionibus cothidianis computatis una cum fructibus et redditibus predictis : super quadragesimo octauo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur communiter in dicta capella quod ecclesia *sancti Stephani* consueuit percipere et habere in bursa communi dicti capituli duodecim libras pro prebenda cuiuslibet canonici dicte capelle defuncti per annum. Item requisitus super quinquagesimo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit et cetera, dixit quod non recolit si viderit dictum priuilegium sed non solum credit quod concessum fuit a sede apostolica per priuilegium dicte capelle ducis et decano ipsius quod haberet curam animarum ducis et ducisse tamen immo etiam quod haberet idem decanus una cum cura dictorum ducis et ducisse curam animarum canonicorum ipsius capelle capellanorum, vicariorum et clericorum eiusdem. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator, et cetera, et super sexagesimo primo, dixit se nihil scire, nisi quod in dicta ecclesia *sancti Stephani* sunt fontes baptismales ad baptisandos pueros. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et cetera,

Art. 63 à 67. dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod decanus et capitulum et canonici predicte capelle capellani siue clerici eiusdem non tenentur ad aliquam decimam soluendam dictis abbati et conuentui de possessionibus eorum quas possident intra parochias seu parochiatus ad dictos abbatem et conuentum pertinentes nec soluere consueuerunt cum sint exempti sicut dicit ipse qui loquitur. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod non credit quod fuerunt in possessione predicta quantum ad decanum et canonicos predicte capelle aut capellanos seu clericos eiusdem nec quod perceperunt seu recipi fecerunt census ex domibus, terris, vineis et possessionibus quas habent infra dictas parochias nec ad aliquos census tenentur ecclesie *sancti Stephani* prout dicit ipse qui loquitur. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod non credit quod aliquid perceperunt ab illis de capella ut dictum est. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod non credit quod fuerunt in possessione predicta quantum ad decanum, canonicos, capellanos, seu clericos dicte capelle. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod licet dicta compositio et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia decanus et capitulum sunt exempti et non tenentur ecclesie *sancti Stephani* ad decimam nec ad censum sicut dixit. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse,

Art. 68, 69, 76, 77. quia dicti decanus et capitulum et canonici a solutione cuiuslibet decime facienda ab eis abbati et conuentui predictis dicuntur exempti. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis vineis quas dicta capella et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia audiuit dici pluries a magistro *Lamberto* nunc decano dicte capelle et a pluribus canonicis dicte capelle quod non tenentur dictis religiosis ad aliquam decimam. Requisitus de loco quo audiuit dici, dixit quod in capitulo dicte capelle et ita audiuit pluries dici ab eis a decem annis circiter. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit per juramentum suum quod ipse firmiter credit quod de predictis articulis super quibus respondit quod credebat eos veros esse, exceptis hiis que excepit est et fuit publica vox et fama apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit se nihil scire, sed bene credit quod recusauerunt soluere predictis abbati et conuentui censum et decimas de vineis eorum quecumque sint et quas acquisierunt et possident in parochiis dicte ecclesie *sancti Stephani* et in teritoriis in quibus eadem ecclesia generaliter consueuit percipere decimas et ipsas decimas soluere contradixerunt diu est et nunc etiam contradicunt quia pluries audiuit ipse qui loquitur dici a dictis decano et capitulo ut dictum est quod non tenentur dicte ecclesie *sancti Stephani* ad aliquas decimas nec etiam ad censum. Item requisitus super septuagesimo septimo articulo, dixit se nihil scire, sed credit quod diu est recusauerunt et nunc recusant soluere decimas abbati et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* de vineis et rebus aliis quas habent et acquisierunt intra parochias dicte ecclesie ac in eius territoriis

Art. 78 à 86, 89. quia ipse decanus et capitulum et canonici dicunt se non teneri ad dictas decimas. Item requisitus super septuagesimo octauo articulo, dixit se nihil scire, sed credit bene quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias quod dicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle recusauerunt soluere dictis abbati et conuentui diu est censum et decimas de possessionibus quibuscumque quas habent et acquisierunt intra dictas parochias et adhuc recusant. Item requisitus super septuagesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod fructus redditus et cetera, dixit quod dicti abbas et conuentus aut alius pro ipsis nihil modo perceperunt in dicta capella, sed credit quod tempore quo percipiebant et percipere consueuerunt grossos fructus unius prebende in bursa communi dicti capituli panem et vinum et distributiones cothidianas, prout supradixit ipse qui loquitur, predicta valebant et valere poterant communi examinatione annuatim xx libras turonenses et plus. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora fuit et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia tempore quo primo fuit canonicus et etiam post per aliqua tempora ipse vidit quod nulla erat dissensio inter partes predictas super dicta compositione immo dicti abbas et conuentus percipiebant pacifice in bursa communi capituli dicte capelle duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella, ut dictum est. Requisitus quis erat tunc decanus quando primo ita vidit predicta, dixit quod primo ita vidit bene sunt xxv anni elapsi tempore decani dicte capelle dicti de *Barro* et tempore defuncti domini *Artaudi* postmodum decani dicte capelle et similiter ita vidit tempore defuncti abbatis

Art. 90 à 93. *Girardi* predecessoris immediate fratris *Hugonis* nunc abbatis dicti monasterii Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit quod bene sunt decem et nouem anni elapsi vel circa quod ipse jurauit super magnum altare ecclesie *sancti Stephani* quod ipse esset fidelis eidem ecclesie et fidelitatem sibi seruaret. Requisitus de die, mense et septimana, dixit quod non recolit. Requisitus de astantibus, dixit quod tunc erat presens frater *Girardus*, quondam abbas dicti monasterii, et plures erant presentes de quorum nominibus non recolit, de hora, dixit quod ante prandium ut credit, dicens ipse qui loquitur quod plures alii canonici dicte capelle dictam fidelitatem dicte ecclesie *sancti Stephani* jurauerunt prout credit et prout audiuit, et credit quod decanus et canonici qui nunc sunt et qui non fuerunt dictum juramentum pluries requisiti ut dictum juramentum prestarent et fidelitatem predictam hoc facere noluerunt et adhuc nolunt et credit quod de hoc sit publica vox et fama apud dictam capellam.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et cetera, dixit per juramentum suum dictum articulum verum esse. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit a viginti quinque annis proximo preteritis per plura tempora usque ad tres annos proximo preteritos. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod credit quod tempus viginti quinque annorum sit longum. Interrogatus quis erat tunc abbas dicti monasterii et quis decanus dicte capelle, dixit quod ita vidit tempore defuncti fratris *Girardi* quondam abbatis dicti monasterii et postmodum tempore fratris *Hugonis* nunc abbatis dicti monasterii et tempore defuncti *Artaudi* quondam decani dicte capelle, et tempore magistri *Lamberti* nunc decani eiusdem capelle. Interrogatus de loco,

Art. 2 à 4. dixit quod in dicta capella ita vidit pluribus vicibus et multis horis videlicet hora matutinali prime, tertie misse et aliis horis consuetis ad faciendum diuinum officium in dicta capella et vidit ipse qui loquitur postquam fuit canonicus dicte capelle quod primo tenuerunt fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, canonicum dicti monasterii, ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella et postmodum vidit quod dicti abbas et conuentus simili modo tenuerunt et habuerunt in dicta capella fratrem *Odonem* dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibi habuerunt et cetera, dixit quod a viginti quinque annis proximo preteritis usque circa quinque vel sex annos nuper preteritos ipse vidit per plura tempora et pluribus vicibus quod dictus canonicus quem ibi habuerunt dicti abbas et conuentus aliquociens sedebat in prima sede post ipsum decanum dicte capelle et aliquando sedebat in alia sede nec propriam sedem habebat et similiter vidit quod aliquando faciebat primam ebdomadam post eumdem decanum, nec aliud scit de dicto articulo. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod abbas et conventus predicti habuerunt et perceperunt duodecim libras monete currentis in *Burgundia*, in dicta capella pro grossis fructibus unius prebende quas duodecim libras perceperunt in bursa communi dicti capituli per manum cellerarii dicte capelle, sicut supra dixit ipse qui loquitur, et dictas duodecim libras pluries audiuit computari a dicto cellerario coram dictis decano et capitulo quando computabat coram eisdem de receptis et missionibus quas fecerat et habuerat. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod a viginti quinque annis proximo preteritis videlicet usque circa

Art. 5 à 9. decem annos nuper preteritos ipse vidit per multa tempora et pluribus vicibus quod dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt panem et vinum in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle videlicet per tempus aduentus dominum et per tempus quadragesime et pluries vidit nuntium dictorum abbatis et conuentus portantem ad dictum monasterium huiusmodi panem et vinum receptum et sibi distributum in cellerario dicte capelle et eidem nuntio obuiauit pluries dum portaret huiusmodi panem et vinum et vidit similiter a dictis xxv annis usque ad quinque annos proximo preteritos quod dictus canonicus quem tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus percipiebat et percepit distributiones cothidianas in dicta capella, sicut unus ex canonicis predicte capelle et istud est notorium et manifestum in dicta capella, sicut dicit ipse qui loquitur, et apud ecclesiam *sancti Stephani* predictam. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus possidebant vel quasi predicta jura et cetera, dixit per juramentum quod ipse credit quod dicti abbas et conuentus erant in possessione vel quasi percipiendi et habendi in dicta capella panem et vinum et distributiones cothidianas ut dictum est et dictas duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende tempore appellationis emisse ex parte dictorum decani et capituli ratione cuius appellationis agitur inter partes predictas. Requisitus de tempore quo emissa fuit dicta appellatio, dixit quod bene sunt octo anni elapsi vel circa. Item requisitus super sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente et cetera, dixit per juramentum suum quod bene sunt tres anni elapsi vel circa, quod predicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle non permiserunt quod frater *Guillelmus* dictus *Opitaul*, canonicus dicti monasterii quem ipse qui loquitur vidit

Art. 10, 12. venire ad dictam capellam ad seruiendum et faciendum diuinum officium in ea pro ipsis abbate et conuentu et ecclesia *sancti Stephani*, sederet in dicta sede, nec faceret primam ebdomadam post ipsum decanum, nec capellam intraret propter hoc quod dicebant, quod idem frater *Guillelmus* non fuerat eisdem decano et capitulo ex parte dictorum abbatis conuentus modo debito ad faciendum officium et ad seruiendum in dicta capella presentatus. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit et audiuit in dicta capella quod quando dictus frater *Guillelmus* intrabat in dictam capellam et veniebat ad chorum eiusdem alter canonicorum seu capellanorum dicte capelle occupabat dictam sedem et sedebat in ea, nec permittebat quod in dicta sede sederet idem frater *Guillelmus*, nec permittebat similiter dicti decanus et capitulum quod idem frater *Guillelmus* post ipsum decanum faceret primam ebdomadam. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ordinatum fuerat ita inter dictos decanum et capitulum presente ipso qui loquitur. Item requisitus super decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* tenuerunt et habuerunt per plura tempora unum canonicum regularem in dicta capella qui percipiebat distributiones cothidianas et habuerunt et perceperunt duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle panem et vinum sicut supra deposuit ipse qui loquitur. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit ut supra. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod nescit. Interrogatus quantum habeat in bonis, dixit quod paruum et quod non habet aliquod beneficium nisi canonicatum et prebendam dicte capelle. Item interrogatus quam dictarum partium mallet obtinere in dicta causa, dixit quod dictos decanum

et capitulum nec tamen pro ipsis degeraret. Item interrogatus utrum fuit doctus seu instructus ab aliquo et cetera, dixit quod non.

Nonus testis.

Art. 2, 6, 9, 10, 11. *Petrus* de *Marreyo* clericus chori predicte capelle testis productus ex parte dictorum abbatis et conuentus contra dictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus : requisitus per juramentum suum super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit quod ipse vidit dictam ecclesiam *sancti Medardi* gubernari per canonicos monasterii *sancti Stephani* diuionensis et vidit communiter portari ad dictam ecclesiam corpora laicorum morientium in castro *Diuionis* et dicitur communiter et vulgariter quod ecclesia *sancti Medardi* predicti pertinet ad monasterium *sancti Stephani* diuionensis et ita vidit pluries et audiuit dici a viginti quatuor annis circiter, nec aliud scit de dicto articulo. Item requisitus super sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit quod dictam compositionem vidit, legit, tenuit et pluries transcripsit, sed nunquam vidit eam confirmatam, dicens tamen quod videtur sibi quod tenor dicte compositionis continebatur in ipso decimo articulo et quod continebatur in ipsa quod *Odo* dux *Burgundie* dictam compositionem laudauit et erat dicta compositio sigillata, ut dicit ipse qui loquitur, quatuor sigillis videlicet sigillis dictorum abbatis et conuentus et sigillis dictorum decani et capituli. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit per juramentum suum quod anno presenti fuerunt viginti anni elapsi qoud ipse primo fuit cellerarius dictorum decani et capituli predicte capelle et a dictis viginti annis circiter

per decem annos fuit cellerarius predicte capelle et anno quolibet annorum predictorum quo fuit cellerarius soluebat seu computabat mandato dictorum abbatis et conuentus duodecim libras viennenses seu monete currentis in *Burgundia* pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle quas duodecim libras ipse qui loquitur soluit de bursa communi dictorum decani et capituli et pro ipsis domino *Renaudo* quondam canonico et cellerario dictorum abbatis et conuentus recipienti eas nomine eorum per primos quatuor annos quo ipse qui loquitur fuit cellerarius dicte capelle, et similiter soluit per sex annos sequentes, anno quolibet videlicet duodecim libras dicte monete de pecunia burse communis dictorum decani et capituli pro grossis fructibus unius prebende quam dicti abbas et conuentus percipiebant et percipere consueuerant in dicta capella annuatim fratri *Nicolao* dicto *Laudate* canonico dicti monasterii quem dicti abbas et conuentus tunc tenuerunt et habuerunt per dictos sex annos ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella recipienti eas nomine dictorum abbatis et conuentus et anno quolibet dictorum decem annorum ipse computauit dictis decano et capitulo et posuit in missionibus seu expensis suis duodecim libras pro grossis fructibus predictis, dixit etiam ipse qui loquitur, quod per dictos decem annos dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt unum canonicum regularem in dicta capella ad seruiendum et faciendum diuinum officium in eadem sicut unus ex canonicis dicte capelle qui canonicus percepit et habuit per manum ipsius qui loquitur vel eius mandati distributiones cothidianas in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et quorum abbatis et conuentus nuntio vel mandato ipse qui loquitur vel quando contigit eum abesse alius pro ipso per dictos decem annos nomine dictorum abbatis et conuentus et pro ipsis distribuebat et distribuit panem et vinum in

Art. 12, 13, 32, 35 à 37. cellerario dictorum decani et capituli sicut uni ex canonicis dicte capelle et in premissis vidit obseruari dictam compositionem per dictum tempus ipse qui loquitur pacifice. Item requisitus super duodecimo articulo, dixit quod dicitur communiter in dicta capella quod ecclesia *sancti Stephani* consueuit percipere et habere unam prebendam in dicta capella. Item requisitus super tertiodecimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia et cetera, dixit se nihil scire, quod de consensu partium litigauerunt, tamen dixit quod vidit litigare coram domino duce et coram eius bailliuo dictas partes super prebenda quam dicti religiosi dicebant se habere in dicta capella. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt sicut superius deposuit duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende et panem et vinum et distributiones cothidianas, sicut unus ex canonicis dicte capelle causam seu reddens, ut superius super undecimo articulo, et tempore quo ipse qui loquitur fuit cellerarius canonici dicte capelle residentes habebant prebendas assignatas et vidit ipse qui loquitur quod dictos grossos fructus perceperunt dicti abbas et conuentus eodem modo quo canonici ipsius capelle residendes.

Item requisitus super tricesimo sexto articulo, dixit se nihil scire, quia per tempus quo ipse qui loquitur fuit cellerarius canonici dicte capelle habebant prebendas distinctas et assignatas. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit per juramentum suum quod de pecunia que in singulis annis canonicis dicte capelle solui consuevit

Art. 38. pro anniuersariis tantum percipiebat dictus canonicus *sancti Stephani* seruiens in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* quantum unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit et soluit et solui fecit per dictum tempus et dicto tempore quo fuit cellerarius dicte capelle et ita obseruatum et factum fuit pacifice per tempus predictum. Interrogatus quando primo ita soluit, dixit quod primo anno quo fuit cellerarius dicte capelle ita soluit et postmodum pluries in dicta capella fratri *Nicolao* dicto *Laudate* canonico dicti monasterii seruienti in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* per plures annos. Interrogatus quis erat tunc abbas dicti monasterii et quis decanus dicte capelle, dixit quod defunctus frater *Girardus* predecessor fratris *Hugonis* nunc abbatis dicti monasterii, erat tunc abbas et dominus *Artaudus* predecessor magni *Lamberti* nunc decani dicte capelle erat tunc decanus eiusdem capelle et similiter ita soluit pluries et per plures annos in dicta capella et in choro eiusdem fratri *Odoni* dicto *Verroquier* canonico dicti monasterii seruienti in dicta capella pro predicta ecclesia *sancti Stephani* post dictum fratrem *Nicolaum* tempore dicti fratris *Hugonis* nunc abbatis dicti monasterii et tempore dicti magni *Lamberti* nunc decani dicte capelle. Interrogatus qui erant presentes quando ita soluit, dixit quod decanus et plures canonici, capellani et clerici dicte capelle fuerunt presentes in dicto choro et in dicta capella quando pluribus vicibus ita soluit de quorum nominibus non recolit, quia de die in diem solutionem huiusmodi continuabat et faciebat in communi nec ad hoc aduocabat testes certos de quibus possit recolere. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit per juramentum quod a dicto tempore quo primo fuit cellerarius usque ad quinque vel ad sex annos proximo preteritos abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt

Art. 39 à 41. in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quem canonicum ipse qui loquitur reputabat et credebat idoneum et fidelem sicut erat unus ex canonicis dicte capelle et ita vidit ipse qui loquitur primò de dicto fratre *Nicolao* et post modi de dicto fratre *Odone* secundum quod superius dixit. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod de publica voce et fama huiusmodi nihil scit. Sed notorium est in dicta capella quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt in dicta capella duodecim libras turonenses pro grossis fructibus unius prebende panem et vinum et distributiones cothidianas et immutas modo predicto et quod seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem prout supra dixit ipse qui loquitur sicut et unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod anno proximo quo ipse qui loquitur fuit cellerarius dicte capelle decanus et capitulum ipsius capelle diuiserunt prebendas suas in dicta capella et illo eodem anno dicti abbas et conuentus perceperunt et habuerunt a dictis decano et capitulo per manum ipsius qui loquitur duodecim libras turonenses pro grossis fructibus unius prebendė et etiam anno sequenti perceperunt et habuerunt similiter duodecim libras quas soluit ipse qui loquitur fratri *Reynaudo* canonico et cellerario dicti monasterii nomine dictorum abbatis et conuentus : dixit etiam ipse qui loquitur quod notorium est in dicta capella et inter decanum et canonicos eiusdem quod canonici residentes et desseruientes in dicta capelle habent modo pre-

Art. 42 à 51. bendas distinctas et assignatas et quilibet eorum scit ubi debet percipere prebendam suam. Item requisitus super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod tempore quo ipse qui loquitur fuit cellerarius magister *Guido* dictus *Murie Anaul*, dominus *Gilo* de *Geureyo* et dominus *Jacobus* de *sancto Johanne* quondam canonici dicte capelle mortui fuerunt et pro jure predicte ecclesie *sancti Stephani* que consueuit habere per annum fructus prebende cuiuslibet canonici dicte capelle defuncti ipse qui loquitur nomine dictorum decani et capituli pro prebenda cuiuslibet canonicorum predictorum defunctorum duodecim libras turonenses fratri *Regnaudo* quondam cellerario et canonico dicti monasterii soluit et satisfecit eidem in pecunia numerata. Requisitus utrum habuerit super hoc mandatum a dictis decano et capitulo, dixit quod sic et quod de eorum mandato ita soluit dicto fratri *Regnaudo* recipienti ad opus dictorum religiosorum et pro ipsis. Interrogatus de astantibus, dixit quod non recolit quia inter ipsum et dictum fratrem *Regnaudum* ita bene concordabant quod non indigebant testibus.

Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur vulgariter et communiter apud *Diuionem* quod castrum de *Diuione* in quo dicta capella sita est, est in parrochiatu et intra fines parrochie *sancti Medardi* nec scit ipse qui loquitur utrum dicta ecclesia *sancti Medardi* habeat parochiatum nisi prout communiter dicitur Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod non vidit dictum priuilegium sed bene

Art. 60 à 62. recolit quod continetur in dicta compositione quod capella non habebit cimeterium neque parochiatum preter quem ducis et ducisse quorum curam habet decanus dicte capelle.

Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod vidit pluries et per plures annos dominum *Johannem* dictum teste presbyterum et *Laurentium* clericum et quosdam alios familiares dicti monasterii de quorum nominibus non recolit qui ibant per parochiatum ecclesie *sancti Petri* et per castrum *Diuionis* ad recipiendum et levandum census pro dicta ecclesia *sancti Stephani* ab illis qui habebant domos in dictis locis et portabant quemdam perticam ad mensurandum si opus esset quantum censum debebant habere et aliquocies vidit quod portabant uadeia que dicebantur accepisse ab illis qui dictum censum soluere recusabant. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod dicta ecclesia est baptismalis et ibi sunt sacri fontes in quibus vidit baptisari perronetum filium magistri *Johannis Lothoringi* de *Diuione* clerici et quem perronetum ad dictos fontes tenuit et leuauit ab ipsis et vidit multos portari pueros ad dictam ecclesiam *sancti Stephani* ut baptisarentur ibidem et ita vidit a viginti annis circiter pluries. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et cetera, dixit quod abbas et conuentus dicti monasterii consueuerunt percipere et habere decimas de terris, vineis et possessionibus sitis in finagiis seu territoriis de *Diuione* citra ripariam de *Ouche* ad partem deversus *Mirandes* et deversus *Oromay* exceptis terris et vineis que pertinent ad dictam capellam et vidit ipse qui loquitur a viginti annis citra quod *Pariseta* filia *Mauritii* dicti *Garitaui* et plures alii de quorum nominibus non

Art. 63 à 65. recolit, qui habebant vineas in dictis finagiis per plures annos concordauerunt de decimis in quibus tenebantur dictis abbati et conuentui cum decimatoribus ad hoc deputatis et maxime ipse qui loquitur per plures annos concordauit cum eisdem decimatoribus videlicet cum domino *Johanne*, teste, et *Laurentio*, clerico, de decimis in quibus tenebatur dictis abbati et conuentui ratione vinearum quas habebat in dictis finagiis et de vineis quas dominus *Johannes*, dictus *Langardat*, in eisdem finagiis habebat pro se et pro dicto *Johanne Langardat* pluries concordauit et satisfecit dictis domino *Johanni* teste presbytero et *Laurentio* clerico nomine dictorum abbatis et conuentus. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit per juramentum suum quod vulgariter et communiter dicitur apud *Diuionem* quod predicta ecclesia *sancti Stephani* habet in villa diuionensi quinque ecclesias seu parochias videlicet: *beate Marie, sancti Michaelis, sancti Nicolai, sancti Medardi* et *sancti Petri* que respondent abbati dicte ecclesie *sancti Stephani* pleno jure et dicitur communiter quod abbas et conuentus predicti perceperunt et receperunt ab antiquo et percipi et recipi fuerunt census ex domibus terris vineis et possessionibus aliis consistentibus et existentibus intra parochias seu parochiatus earumdem ecclesiarum pertinentium ad ecclesiam *sancti Stephani* et ad abbatem et conuentum predictos exceptis domibus, terris, vineis et possessionibus pertinentibus ad dictam capellam. Item requisitus super sexagesimo quarto, quinto articulis, dixit per juramentum suum quod exceptis domibus terris, vineis et possessionibus pertinentibus ad dictam capellam que dicuntur esse exempte et non teneri ad census nec ad decimas dictis abbati et conuentui contentu in ipsis quarto et quinto articulis sunt notoria et manifesta apud *Diuionem* ita quod probatione non indi-

Art. 66 à 69. gent et quod similiter dicitur vulgariter et communiter apud dictam *Diuionem* quod predicte quinque ecclesie seu parochie pertinent ad dictum monasterium *sancti Stephani*. Item requisitus super sexagesimo sexto, septimo et octauo articulis, dixit quod credit dictos articulos veros esse, quia audiuit dici a magistro *Lamberto* decano nunc predicte capelle quod ipse decanus nec singuli canonici dicte capelle de domibus quas acquisierunt post dictam compositionem intra dictas parochias monasterii *sancti Stephani* non tenentur soluere censum dictis abbati et conuentui, nec de vineis suis sitis in dictis territoriis et patrimonialibus et aliis quas possident et acquisierunt quocummodo non tenentur soluere decimam dictis abbati et conuentui nec de aliis vineis qualescumque sint etiam si sint acquisite dictis decano et capitulo in dictis territoriis post dictam compositionem tenentur soluere decimam neque censum, dicens ipse qui loquitur quod cum fuit *Regnaudus*, quondam cellerarius dicti monasterii, diceret dicto magistro *Lamberto*, decano et capitulo dicte capelle, quod ipsi tenebantur dicto monasterio *sancti Stephani* ad censum et ad decimam de vineis quas acquisierunt que non erant de generali dicte capelle et ipsos requireret super hoc prout sibi videtur ipse audiuit quod dictus decanus respondet dicto fratri *Regnaudo* quod non tenebantur dictis abbati et conuentui ad censum nec ad decimam nec de illis rebus nec de aliis. Requisitus de tempore quo ita premissa audiuit, dixit quod a viginti annis circiter; de loco, dixit quod in dicta capella. Interrogatus de astantibus, dixit quod non recolit nec de anno, mense, septimana vel die. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit per juramentum suum quod publica vox est et fama et fuit apud dictam capellam et apud *Diuionem* quod ecclesia *sancti Stephani* est baptismalis et quod terre, vinee, et

Art. 76 à 79. possessiones site intra dictas quinque ecclesias seu parochias sunt et esse consueverunt decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbas et conuentus decimas percipere et habere exceptis domibus, terris, vineis et possessionibus pertinentibus ad dictam capellam que dicuntur esse exempte et non teneri ad decimas nec ad census dictis abbati et conuentui et quod ipse quinque ecclesie seu parochie pertinent ad dictum monasterium *sancti Stephani*, et quod decanus et capitulum de omnibus possessionibus suis quas habent et acquisierunt intra dictas parochias seu ecclesias post dictam compositionem censum soluere recusauerunt et recusant, et quod dicti decanus et capitulum et canonici de vineis suis patrimonialibus et aliis propriis quos possident et acquisierunt intra dictas parochias seu ecclesias et dicta territoria decimam et censum soluere recusauerunt et recusant. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod plures communitea asserunt et dicunt inter se. Interrogatas unde habuit originem ista fama et vox, dixit quod nescit. Item requisitus super septuagesimo sexto, septimo et octauo articulis, dixit quod ipse credit dictos articulos veros esse, quia audiuit dici pluries a dicto magistro *Lamberto* decano quod ipsa capella decanus et capitulum et canonici dicte capelle in nullo casu de aliquibus possessionibus possideant vel acquirant intra territoria in quibus dicti abbas et conuentus decimam vel censum generaliter habere consueuerunt, tenentur ad decimam nec ad censum dictis abbati et conuentui et quod ita audiuit dici a pluribus aliis in dicta capella de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super septuagesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod fructus et cetera, dixit quod fructus redditus et prouentus et ea que proueniebant prouenire, et distribui poterant et debebant abbati et conuentui predictis et canonico qui

Art. 80 à 86, 89 à 91. seruiebat in dicta capella pro ipsis ratione prebende qua percipiebant in dicta capella valebant et valere poterant et consueuerant communi existimatione annuatim viginti libras turonenses et plus. Requisitus quomodo scit, dixit quod pro quolibet anno per tempus quo ipse fuit cellerarius soluit dictis abbati et conuentui vel alii eorum nomine et pro ipsis, nomine dictorum decani et capituli et pro ipsis, ratione prebende quam dicti abbas et conuentus percipiebant et tunc percipere consueuerant in dicta capella duodecim libras viennenses pro grossis fructibus eiusdem prebende et distributio panis et vini quam percipiebant in cellerario dicte capelle, vel de bonis eiusdem capelle et perceperunt quolibet anno quo ipse fuit cellerarius, valebat dictis abbati et conuentui centum solidos viennenses et plus et distributiones cothidiane quas percipiebat et percepit per dictum tempus canonicus seruiens in dicta capella pro dictis abbati et conuentui et ecclesia *sancti Stephani* valebant octo libras viennenses et plus, communi extimatione. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia pro tempore quo ipse fuit cellerarius dicte capelle vidit bene per sex annos quod nulla contentio seu dissensio erat inter dictas partes super compositione predicta.

Item requisitus super nonogesimo et nonogesimo primo articulis, dixit quod tempore contento in eisdem articulis vel circa dominus *Robertus*, cantor, magister *Lambertus Aucurroise* nunc decanus dicte capelle domini *Johannes* de *Rouura*, *Nicolaus Lothoringus*, *Johannes* de *Arcu*, *Jacobus* de *sancto Johanne* defunctus, *Johannes* de *Sarcellis*, *Hugo* de *Blaiseyo* et *Hugo* de *Montebarri* canonici predicte capelle jurauerunt in ecclesia *sancti Stephani* super

Art. 92, 93. magnum altare se seruaturos dictam compositionem. Requisitus quomodo scit, dixit quia vidit, audiuit et presens fuit. Requisitus de astantibus, dixit quod presentes fuerunt ipse qui loquitur fratrer *Girardus* tunc abbas dicti monasterii, frater *Parisius* nunc cantor dicti monasterii et frater *Regnaudus*, quondam eiusdem monasterii cellerarius, et plures alii de quorum nominibus non recolit. Requisitus de tempore, dixit ut supra. Interrogatus de mense, septimana et die et hora, dixit quod non recolit. Item interrogatus super nonogesimo secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire.

Art. 1, 2. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensi tenuerunt et habuerunt a viginti annis usque ad quinque vel sex annos proximo preteritos in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit quod tenuerunt fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, canonicum dicti monasterii, tempore decani *Artaudi* et tempore fratris *Girardi*, quondam abbatis dicti monasterii, bene sunt viginti anni elapsi et postea pluries ita vidit, et deinde post dictum *Nicolaum* vidit quod tenuerunt et habuerunt in dicta capella ad seruiendum et faciendum diuinum officium in ea sunt, sicut unus ex canonicis dicte capelle fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii, usque ad quinque annos proximo preteritos tempore fratris *Hugoni*, nunc abbas dicti monasterii, et tempore magistri *Lamberti*, nunc decani predicte capelle, et ita vidit et videre potuit per singulas horas quibus presens fuit ipse qui loquitur in dicta capella quando inibi fiebat diuinum officium. Item requisitus super secundo articulo qui sic

Art. 3, 4. incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit quod vidit per dictum tempus pluribus vicibus quod dictus canonicus faciebat et facere consueuerat primam ebdomadam post decanum dicte capelle et celebrabat magnam missam ad magnum altare dicte capelle. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt duodecim libras viennenses pro grossis fructibus prebende unius in dicta capella per decem annos quibus ipse qui loquitur fuit dicte capelle cellerarius et de dictis duodecim libras satisfecit ipse qui loquitur per dictos decem annos et pro quolibet sicut supra deposuisse se dicit et pro quolibet anno dictorum decem annorum computauit coram dictis decano et capitulo de dictis duodecim libras pro grossis fructibus predictis et scripsit inter missiones quas pro ipsis decano et capitulo faciebat nullo eorum contradicente. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod perceperunt et habuerunt per se vel per alium duodecim libras viennenses pro grossis fructibus unius prebende in dicta capella ut dictum est, panem et vinum et distributiones cothidianas in predicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle per totum tempus quo ipse qui loquitur fuit cellerarius dicte capelle causam scientie reddens, ut superius, et quia soluit dictas distributiones et deliberauit ac deliberari et tradi fecit nuncio abbatis dicti monasterii nomine dicte ecclesie *sancti Stephani* per dictum tempus panem et vinum huiusmodi sicut faciebat cuilibet nuncio singulorum canonicorum dicte capelle residentium et deseruientium in eadem. Item dixit ipse qui loquitur quod cum esset cellerarius dicte capelle ipse de mandato dictorum decani et capituli anno millesimo ducentesimo octogesimo secundo, computauit cum fratre *Regnaudo,*

tunc cellerario et canonico monasterii *sancti Stephani* predicti, tam de grossis fructibus unius prebende quam dicti abbas et conuentus percipiebant, et percipere consueuerant in dicta capella quam de prebendis defunctorum canonicorum ipsius capelle, quas per annum percipiebant et percipere consueuerant dicti abbas et conuentus in dicta capella, et de omnibus in quibus predicti decanus et capitulum tenebantur dictis abbati et conuentui occasione premissorum et in illo anno satisfecit ipse qui loquitur predicto fratri *Regnaudo* cellerario occasione premissorum nomine dictorum abbatis et conuentus de quadraginta libris viennensibus. Item anno domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto satisfecit eidem fratri *Regnaudo* nomine quo supra de centum solidis viennensibus. Item anno domini millesimo ducentesimo octogesimo octauo satisfecit eidem fratri *Regnaudo* nomine quo supra pro dictis decano et capitulo de septuaginta octo libris, quatuor solidis et octo denariis viennensibus et huiusmodi satisfactiones seu solutiones fecit ipse qui loquitur ut dicit de mandato dictorum decani et capituli tempore quo defunctus frater *Girardus* erat abbas dicti monasterii, et tempore quo defunctus dominus *Artaudus* erat decanus dicte capelle. Interrogatus de loco in quo computauit, dixit in dicta capella. Interrogatus de astantibus, die et hora, dixit quod non recolit. Item dixit ipse qui loquitur quod tempore fratris *Hugonis* nunc abbatis dicti monasterii et tempore magistri *Lamberti* nunc decani dicte capelle anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo de mandato decani et capituli predicte capelle, computauit cum domino *Radulpho* de *sancto Luppo* presbitero consiliario dictorum abbatis et conuentus de omnibus in quibus dicti decanus et capitulum eisdem abbati et conuentui tenebantur occasione premissorum de tempore retroacto usque ad capitulum

Art. 5 à 12. assumptionis *beate Marie* illo eodem anno, et satisfecit eidem domino *Radulpho* nomine dictorum abbatis et conuentus de quadraginta septem libris tres solidis et quatuor denariis viennensibus. Item requisitus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit per juramentum suum quod in predicta capella et etiam inter dictos decanum et capitulum est et fuit publica vox et fama, quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et tenuerunt, ut dictum est, post dictum decanum facere consueuerat primam hebdomadam in dicta capella, et quod dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt panem et vinum et distributiones cothidianas, ut dictum est, et duodecim libras pro grossis fructibus unius prebende dicte capelle sicut unus ex canonicis dicte capelle, et in possessione jurium predictorum erant non sunt adhuc decem anni elapsi. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod a multis dicitur. Interrogatus unde habuit originem dicta fama et vox, dixit quod nescit. Interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod libere conditionis et diaconus est. Item interrogatus quantum habeat in bonis, dixit quod valorem sexaginta librarum turonensium et amplius. Item interrogatus utrum unquam fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, et si predicta deponit rogatus vel doctus, prece vel precio, odio et cetera, super hoc ferat testimonium, dixit quod non.

Decimus testis.

Art. 2. 6. Frater *Parisius,* cantor predicti monasterii *sancti Stephani,* testis productus ex parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod bene fuit quinquaginta anni elapsi et amplius quod ipse est canonicus dicti monasterii, et ex tunc ipse vidit quod predicta ecclesia *sancti Medardi* cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* diuionensis et immediate per dictum tempus respondet et respondit in spiritualibus et temporalibus per dictum tempus abbati et conuentui *sancti Stephani* diuionensis dicens ipse qui loquitur quod abbas *sancti Stephani* qui est pro tempore habet curam dicte ecclesie *sancti Medardi,* et consueuit institutuere vicarium suum in eadem ecclesia *sancti Medardi* ad regendum dictam ecclesiam sacristam dicti monasterii qui est pro tempore, et administrandum parochianis ipsius ecclesie ecclesiastica sacramenta et ita vidit ipse qui loquitur per tempus quinquaginta annorum et amplius. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit per juramentum suum quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis in loco de *Diuione* constructa, edificata fuit in parochiatu et intra parochiatum ecclesie predicte *sancti Medardi* excepta quadam parte dicte capelle deuersus cancellum ipsius que est aliquantulum extra muros castri de *Diuione,* que pars fuit edificata in parochiatu ecclesie *beate Marie* de *Diuione* que ecclesia *beate Marie* est et fuit pleno jure ab antiquo dicti monasterii *sancti Stephani* predicti sicut et ecclesia predicta *sancti*

Art. 9 à 11. *Medardi*. Interrogatus quomodo scit, dixit quod a quinquaginta annis elapsis et amplius citra ipse vidit quod nulla ecclesia parochialis fuit nec est in castro diuionense, quod totum prout muri designant et claudunt est in parochiatu *sancti Medardi* in quo castro dicta capella edificata fuit, excepta parte predicta : preter quam dicta ecclesia *sancti Medardi* et ecclesia *sancti Stephani* predicti, nec est in dicto castro aliquod cimiterium, nisi cimiterium *sancti Medardi*, et *sancti Stephani* predictorum propter quod apparet ipsi qui loquitur quod dicta capella prout predixit edificata fuit in dicto parochiatu *sancti Medardi*, cum non sit alius parochiatus in dicto castro, nisi parochiatus dicte ecclesie *sancti Medardi*, nec etiam fuerit. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus quinquaginta annorum et etiam tempus de quo memoria non existit est longum. Interrogatus quis erat abbas dicti monasterii quando primo predicta ita vidit et audiuit, dixit quod defunctus frater *Petrus*, dictus *Barbote*, tunc erat abbas dicti monasterii. Interrogatus quis decanus dicte capelle tunc erat, dixit quod defunctus *Johannes* dictus *Quinerit* erat tunc decanus dicte capelle. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius quod ipse vidit dictam compositionem et etiam quod ipse vidit confirmationem ipsius autoritate apostolice sedis factam sicut in eodem decimo articulo plenius continetur. Item super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula contenta et cetera, dixit quod a quinquaginta annis et amplius proximo elapsis usque ad viginti quinque annos proximo preteritos videlicet tempore defunctorum fratri *Petri*, dicti *Barbote*, *Stephani*, *Gilleberti* et *Amedei*, quondam abbatuum dicti monasterii, et tempore defunctorum *Johannis*, dicti *Marcheant* et *Petri*, quondam decanorum dicte capelle, predicta compositio et capitula in ea contenta fuerunt inter dictas partes obser-

Art. 12, 13. uata, et ita vidit obseruari per dictum tempus pacifice et quiete, nec erat super aliquo seu aliquibus de contentis in dicta compositione aliqua dissensio seu controuersia inter dictas partes, hoc excepto quod magister *Lambertus Auxeuvoise*, tunc canonicus et nunc decanus dicte capelle recusabat et recusant soluere censum et decimam dictis abbati et conuentui *sancti Stephani* de terris et vineis suis patrimonialibus sitis in parochiis dictorum abbatis et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* licet pater *Lamberti* hoc non recusant tempore quo viuehat. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit per juramentum suum quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle, quod ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu per longa tempora est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* de *Diuione* et per tantum tempus cuius principii memoria non existit immediate respondet et respondit in spiritualibus et temporalibus per tempus predictum abbati et ecclesie *sancti Stephani* diuionensis, et est et fuit similiter huiusmodi vox et fama apud *Diuionem*, et quod ipsa ecclesia quod appellatur capella ducis in loco de *Diuione* constructa, edificata fuit in parochiatu et intra parochiatum ecclesie *sancti Medardi* ad ecclesiam *sancti Stephani* sicut dictum est pertinentis excepta quadam parte quam supra excepit ipse qui loquitur, et quod super discordia que fuit inter dictas partes ratione dicte capelle facta fuit quedam amicabilis compositio que fuit auctoritate sedis apostolice confirmata et obseruata inter dictas partes per aliqua tempora. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dicit quod illud quod a pluribus et inter multos dicitur prout credit et intendit. Interrogatus unde primo habuit originem ista fama et vox,dixit quod a pluribus qui ita inter se retulerunt et super hoc locuti ad invicem fuerunt. Item requisitus super tertio decimo articulo

qui sic incipit. Item quod super dicta discordia et cetera, dixit quod bene sunt decem octo anni elapsi vel circa quod frater *Girardus* quondam abbas dicti monasterii requisiuit dominum *Artaudum*, quondam decanum, et quosdam alios canonicos dicte capelle qui jurarent se seruaturos dictam compositionem olim factam inter dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod cum facere recusassent dictus abbas super hoc conquestus fuit de ipsis domino *Roberto*, duci *Burgundie*, qui dux tanquam conseruator dictarum compositionis et confirmationis dictos decanum et canonicos capelle predicte citari fecit coram se apud *Belnam* ad certam diem de qua non recolit testis qui loquitur, et cum ipsa die dicens abbas pro se ac dictus decanus et magister *Johannes* de *Mormax*, canonicus dicte capelle, presentes essent coram dicto duce apud *Belnam* in domo ipsius ducis presente ipso qui loquitur dictus abbas proposuit coram dicto duce quod decanus et canonici dicte capelle infringebant in quibusdam articulis dictam compositionem maxime quia nolebant jurare se seruaturos dictam compositionem prout tenebantur, cui dux respondit quod de hoc faceret fieri eidem abbati instituere reglementum et cum postmodum dictus abbas et ipse qui loquitur, ac etiam dictus decanus dominus *Johannes* de *Rouvis* et quidam alii canonici dicte capelle comparerent coram dicto duce apud *Castellione* super *Sequanam* quadam die de qua non recolit, in prioratu sancti *Teroli* de *Castellione*, predictus dux dixit et commisit magistro *Jacobo* de *Rocha*, tunc preposito de *Susseyo* et postmodum episcopo Eduensi, quod dicto abbati ac predicto decano et capilulo dicte capelle faceret iustitiam super hiis que proponebat idem abbas contra ipsos decanum et capitulum occasione compositionis predicte : et tandem ipsa die post prandium comparentibus in dicto prioratu coram dicto magistro *Jacobo*, dicto abbate, necnon dictis *Artaudo* decano et

Art. 32, 35, 36. *Johanne* de *Rouvis* canonico dicte capelle predictis magister *Jacobus* pronuntiauit quod dictus canonicus et decanus dicte capelle ac predictus abbas et canonici dicti monasterii *sancti Stephani* jurarent ad invicem se seruaturos compositionem predictam et ita audiuit et presens fuit ipse qui loquitur, dicens quod post octo dies vel circa post dictam prononciationem, ipse vidit et presens fuit, quod predictus decanus et plures canonici dicte capelle jurauerunt in ecclesia *sancti Stephani* diuionensis super magnum altare ipsius ecclesie, presente dicto abbate et pluribus aliis canonicis dicti monasterii, se seruaturos predictam compositionem et deinde predictus abbas, ipse qui loquitur et quidam alii canonici dicti monasterii tunc presentes accesserunt ad dictam capellam, et eodem modo jurarunt super magnum altare dicte capelle se seruaturos compositionem predictam.

Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Requisitus quomodo scit, dixit sicut supra super undecimo articulo quia vidit dictam compositionem obseruari inter dictas partes et quia dicit quod contenta in dicto xxxv articulo sunt adeo notoria apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod non possint aliqua tergiuersatione celari. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi quod abbas et conuentus dicti monasterii habuerunt et tenuerunt ipsum qui loquitur ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella et tunc ipse vidit quod *Jacobus* dictus *Bigaul* erat cellerarius dicte capelle et per ipsum fructus redditus et obuentiones et bona obuenentia occasione dicte capelle recipiebantur et distri-

Art. 37, 38. buebantur per ipsum equaliter inter canonicos et audiuit dici pluries a dicto *Jacobe* cellerario quod tantum inde percipiebat ab eo ecclesia abbas et conuentus *sancti Stephani* quantum unus de canonicis dicte capelle. Interrogatus quando primo predicta vidit et audiuit, dixit quod bene sunt quadraginta anni elapsi. Interrogatus quando secundo, dixit quod non recolit, nec de die, hora et astantibus, nec de loco nisi quod credit in dicta capella, et postea ita vidit bene sunt triginta anni elapsi et amplius quod magister *Lambertus* de *Geureyo* fuit cellerarius dicte capelle et simili modo omnia bona prouenentia occasione dicte capelle per ipsum recipiebantur inter canonicos equaliter distribuenda et audiuit dici pluries ab eodem quod tantum inde percipiebat ab ipso *Lamberto* cellerario ecclesia abbas et conuentus *sancti Stephani* quantum unus de canonicis dicte capelle, nec aliud scit super ipso articulo. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit dictum articulum verum esse, causam scientie reddens, quia dicti abbas et conuentus bene sunt quadraginta anni elapsi et deinde per quindecim annos sequentes non tamen immediate vel circa tenuerit et habuerit ipsum qui loquitur ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle et tantum per tempus quo seruiuit in dicta capella quod dictis abbate et conuentu soluebatur ipsi qui loquitur et solui consuetum erat de dicta pecunia quantum uni de canonicis dicte capelle et tantum percipiebat quantum unus ex eisdem canonicis et istud est notorium in dicta capella ut dicit. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a quinquaginta annis elapsis usque circa duos annos proximo preteritos, abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum

rt. 39. et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quod bene sunt quinquaginta anni elapsi vel circa, quod ipse vidit quod dicti abbas et conuentus seruierunt in dicta capella primo per fratrem *Stephanum*, dictum le *François*, nunc defunctum et tunc canonicum dicti monasterii per plures annos et postea per ipsum qui loquitur seruierunt in eadem capella fere per quindecim annos vel circa et post ipsum fratrem *Petrum* de *Bisuntio* et post modum seruierunt similiter per plures annos per fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, et deinde per fratrem *Odonem* dictum *Verroquier*, canonicos dicti monasterii per quem fratrem *Odonem* seruierunt in dicta capella, non sunt adhuc sex anni elapsi, et ita vidit ipse qui loquitur, dicens quod contenta in dicto articulo notoria sunt apud dictas ecclesias et etiam seruierunt in dicta capella per fratrem *Guillelmum* dictum *Lopitaul* et ultimo circa duos annos nuper preteritos per fratrem *Hugonem* dictum *Millot* canonicum dicti monasterii. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia et cetera, dixit quod notorium est apud dictas ecclesias, quod dicti abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* prebendam unam perceperunt de bonis dicte capelle antequam dicte prebende essent diuise, sicut unus de canonicis dicte capelle usque ad tempus quo decanus et capitulum predicti diuiserunt et distinxerunt prebendas et ante dictam distinctionem nulla erat dissentio inter dictas partes super perceptione dicte prebende et audiuit dici ipse qui loquitur pluries a viginti quinque annis circiter a pluribus de canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit quod decanus et capitulum dicte capelle diuiserant et distinxerant dictas prebendas et eas assignauerant in certis locis percipiendas canonicis dicte capelle, et quod non assignauerant prebendam distinctam dictis ecclesie, abbati et conuentui

Art. 40 à 44. *sancti Stephani*, nisi in bursa communi dictorum decani et capituli.

Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit per juramentum suum quod de contentis in tricesimo articulo quinto et in aliis sequentibus usque ad presentem articulum fuit et est publica vox et fama et predicta fuerunt et sunt publica et notoria apud dictas ecclesias. Interrogatus quid est dicere publica fama et vox, dixit quod illud quod communiter et vulgariter refertur a pluribus. Interrogatus unde habuit originem, dixit quod canonicis, et personis dictarum ecclesiarum qui ita viderunt et retulerunt. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate, conuentu predictis et cetera, dixit quod dictis abbate et conuentu percipientibus prebendam prout supra dixit ipse qui loquitur ipse audiuit dici a pluribus de canonicis dicte capelle, quod decanus et capitulum predicti diuiserunt et distinxerunt predictas prebendas in dicta capella et quod canonici ibidem residentes habent prebendas distinctas et assignatas et quibus eorum fecit ubi debet percipere prebendam suam dicens quod istud notorium in eadem capella. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum adhuc soluunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisiuerunt [et cetera, dixit quod licet non audierit requisitionem huiusmodi fieri, tamen credit dictum articulum verum esse, quia procuratores dictorum abbatis et conuentus sunt et fuerunt adeo instructi quod nunquam preter miserunt requirere super hoc dictos decanum et capitulum. Item requisitus super quadragesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod requisiuerunt eosdem et cetera, dixit se nihil scire. Item

Art. 45 à 50. requisitus super quadragesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod decanus et capitulum requisiti, prout credit, prebendam distinctam dictis abbati et conuentui recusauerant, assignauerant et recusant. Item requisitus super quadragesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod a tempore huiusmodi et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod fructus et exitus et prouentus et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, computatis omnibus distributionibus et pane et vino nec aliud scit nisi quia ita dicitur communiter in dicta capella. Item requisitus super quadragesimo octauo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia ita audiuit dici a pluribus de quibus non recolit. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit per juramentum suum quod dicitur communiter et vulgariter apud *Diuionem* et ita audiuit dici pluries a quinquaginta annis citra quod quidquid est in castro diuionensi prout circuitus murorum dicti castri designat in quo quidem castro predicta capella ducis sita est excepta quadam minima parte quam supra excepit, ipse qui loquitur et quicquid est circum circa dictam capellam in dicto castro siue sint domus decani sive canonicorum est in parochia et intra fines predicte parochie *sancti Medardi* que est et esse consueuit monasterii *sancti Stephani*, sicut supradixit ipse qui loquitur, dicens quod manifestum est et notorium apud *Diuionem* quod ecclesia predicta *sancti Medardi* est antiquior qua sit dicta capella et quod dictum castrum prout circuitus murorum designat est et fuit ab antiquo et a tempore cuius principii memoria non existit in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi* et quod

Art. 51, 60. ab antiquo omnes commorantes et inhabitantes dictum castrum siue sint clerici laici sunt et fuerunt parochiani *sancti Medardi* et in ecclesia ipsa tanquam in eorum parochiali consueuerunt ecclesiastica sacramenta recipere et habere, exceptis decano et canonicis et presbiteris et clericis dicte capelle qui dicuntur se esse exemptos. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod nunquam vidit priuilegium predictum sed audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit, quod decanus dicte capelle habet tantummodo curam animarum ducis et ducisse. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus terre et cetera, dixit per juramentum suum dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ecclesia predicta *sancti Stephani* habet et habuit ab antiquo sub se quinque ecclesias parochiales sitas apud *Diuionem*, videlicet : ecclesias *sancti Medardi*, *sancte Marie*, *sancti Nicolai*, *sancti Michaelis* et *sancti Petri*, que ecclesie sunt et esse consueuerunt ab antiquo dicti monasterii *sancti Stephani* pleno jure, et quarum quinque ecclesiarum abbas dicti monasterii qui est et fuit pro tempore curam habet et domus terre vinee et possessiones site in parochiis predictis et intra fines parochiarum ipsarum pertinentium ad dictum monasterium *sancti Stephani* ut dictum est et maxime in illo loco in quo dicta capella consistit fuerunt ab antiquo, et consueuerunt esse censuales dicte ecclesie et abbati et conuentui *sancti Stephani* nisi sint excepte jure aliquo specialiter, dicens quod ita sibi videtur de loco in quo dicta capella consistit propter hoc quod ille locus est in parochiis *sancti Medardi* et *beate Marie* predictis, dicens etiam ipse qui loquitur, quod anno quolibet familiares seu seruientes predicte ecclesie *sancti Stephani* generaliter consueuerunt ire per dictas parochias ad

Art. 61, 62. ipsum monasterium pertinentes et petere, exigere, habere et leuare censum, ab illis, qui habent seu tenent, domos, terras, vineas et possessiones sitas in predictis parochiis, et intra fines earum et consueuerunt dicti familiares seu seruientes radiare illos qui nolunt soluere censum quem debent vel eis satisfacere de eodem nomine predicte ecclesie *sancti Stephani* et ita vidit ipse qui loquitur per plures annos. Interrogatus qvomodo primo ita vidit, dixit quod a quinquagenta annis citra pluries ita vidit, et bene sunt quadraginta anni et amplius elapsi quod primo ita vidit, dicens quod istud est notorium apud *Diuionem* et hoc scit et scire potest quilibet sane mentis commorans apud *Diuionem*. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et cetera, dixit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et per tantum tempus cuius principii memoria non existit baptismalis et in ea sunt fontes ad baptisandum in quibus generaliter consueuerunt baptisari omnes pueri qui nascuntur in dicto castro *Diuionis*, et in quibus fontibus vidit baptisari bene sunt quinquaginta anni elapsi et a quinquaginta annis citra sepe et sepius fere quolibet anno multos pueros vidit baptisari ibidem sacristam dicti monasterii *sancti Stephani* vel per alium pro ipso qui sacrista consueuit esse vicarius in dicta ecclesia *sancti Medardi* predicti monasterii pro abbate qui curam habet dicte ecclesie *sancti Medardi* ut dictum est et videtur ipsi qui loquitur, quod ipsa ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit parochialis, quia abbas dicte ecclesie *sancti Stephani* qui fuit et est pro tempore habet et habere consueuit curam dictarum quinque ecclesiarum que sunt pleno juredicti monasterii et ecclesie *sancti Stephani*.

Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones et cetera, dixit per juramentum suum dictum articulum

Art. 63 à 65. verum esse. Requisitus quomodo scit, dixit quod certum est quod abbas dicti monasterii habet curam dictarum quinque ecclesiarum et quod consueuerunt esse et sunt dicti monasterii pleno jure et quod vinee et terre et possessiones site intra dictas parochias et loca predicta sunt de consuetudine antiquissima et approbata et consueuerunt esse decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbas et conuentus decimas percipere et habere et ita audiuit dici pluries bene sunt quinquaginta anni elapsi et a quinquaginta annis citra vidit per plures annos, et fere quolibet anno tempore quadragesimali, quod generaliter homines et etiam alique mulieres qui habebant vineas sitas intra dictas parochias venerunt et venire consueuerunt ad quamdam cameram que est in dicto monasterio *sancti Stephani* et que vocatus camera decimatorum, et concordabant cum decimatoribus deputatis ad leuandum et recipiendum dictas decimas, de decimis quas ipsi homines et mulieres debebant ratione vinearum sitarum quas habebant intra dictas parochias nec unquam audiuit aliquos qui contradicerent soluere dictis abbati et conuentui aut eorum mandato, decimas de vineis quas habebant intra dictas parochias, exceptis decano et illis de dicta capella qui dicunt se esse exemptos et recusant soluere decimas de vineis suis quas habent intra dictas parochias, dicens ipse qui loquitur quod dicti abbas et conuentus consueuerunt percipere et habere decimas terrarum sitarum intra dictas parochias tempore messium in locis ubi dicte terre site sunt. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii et cetera. Item super sexagesimo quarto et quinto articulis sequentibus, dixit quod contenta in ipsis articulis notoria sunt apud *Diuionem*, et quod nescit quid aliud dicere super ipsis et quod non audiuit nec sciuit quod

Art. 66 à 69, 76 à 85. aliquis se opposuerit contentis in eisdem nisi sunt illi de dicta capella. Item requisitus sexagesimo sexto, septimo et octauo articulis, dixit per juramentum suum quod credit dictos articulos veros esse et quod audiuit dici quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle generaliter recusant, et recusauerunt soluere dictis abbati et conuentui censum et decimas. Requisitus a quibus audiuit dici, dixit quod audiuit dici ab illis qui consueuerunt petere et leuare census in dicto castro quod dicti decanus et capitulum et canonici generaliter recusant soluere censum de domibus suis qualescumque sint et audiuit dici a decimatoribus quod recusant similiter soluere decimas de omnibus vineis quas habent intra dictas parochias. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit per juramentum suum quod de contentis in predicto sexagesimo articulo, necnon in sexagesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis sequentibus est et fuit publica vox et fama et contenta in eis fuerunt et sunt publica et notoria apud *Diuionem* et apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle Interrogatus quid est dicere publica vox et fama et unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit ut supra. Item requisitus super septuagesimo sexto, septimo, octauo, nono, octogesimo, octogesimo primo, secundo et tertio articulis, sibi singulariter expositis, dixit quod credit dictos articulos veros esse. Interrogatus quare credit, dixit quia sibi videtur quod contenta in eis sunt vera sed de alia causa scientie non posset bono modo deponere sicut dixit. Item requisitus super octogesimo quarto articulo qui sic incipit. Primo quod a tempore cuius memoria non existit et cetera, et super octogesimo quinto articulo, dixit per juramentum suum quod credit firmiter dictos articulos veros esse, quia dux *Burgundie* est patronus dicte capelle et continetur in dicta

Art. 86. compositione, quia ipse qui loquitur vidit auctoritate sedis apostolice confirmatam, quod *Odo,* dux *Burgundie,* dictam compositionem laudauit et manutenere promisit et maxime quia ipse qui loquitur fratrem *Girardum,* quondam abbatem dicti monasterii *sancti Stephani,* qui fuit mortuus bene sunt undecim anni elapsi et amplius vidit comparere coram domino *Roberto* nunc duce *Burgundie,* qui se gerebat pro conseruatore dicte compositionis anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo apud *Castellionem* presente coram dicto domino duce, domino *Artaudo* tunc decano dicte capelle, et *Johanne* de *Rouvis* canonico dicte capelle, quadam die de qua non recolit, et cum dictus abbas conqueretur dicto duci de dicto decano et canonicis dicte capelle qui nobebant jurare dictam compositionem se seruaturos dictus dux dixit et commisit magistro *Jacobo* de *Rocha* tunc preposito de *Susseyo* predicto quod faceret dictis partibus justiciam qui prononciauit secundum quod ipse qui loquitur supra deposuit in tertio decimo articulo, et vidit pluribus vicibus procurator dictarun partium comparere coram dicto duce occasione dicte compositionis videlicet apud *Belnam* et apud *Sedelocum* et quando dicti decanus et capitulum seu canonici dicte capelle aliquid faciebant vel attemptabant contra dictam compositionem, ipse abbas habebat recursum ad dictum ducem et dictos decanum et capitulum faciebat citari coram dicto duce ad instantiam dicti abbatis quando recusabant seruare aliquid de contentis in dicta compositione. Item requisitus super octogesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predictis et cetera, dixit quod de contentis in dictis octogesimo quarto et quinto articulis est et diu fuit communis et publica vox et fama apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et ante appellationem interpositam ex parte dictorum decani et capituli ita obseruabatur contenta in dictis articulis. Item requisitus super octo-

Art. 89 à 92. gesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit dictum articulum verum esse causam scientie reddens sicut supra super tertio decimo articulo ubi de hoc deposuit. Item requisitus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle et cetera, dixit quod juramentum suum quod anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo post pronuntiationem factum per dictum magistrum *Jacobum* de *Rocha* tunc prepositum de *Susseyo* cui dictus dux super hoc commissat vices suas, sicut supra deposuit ipse qui loquitur, domini *Artaudus* tunc decanus, *Robertus*, cantor, *Lambertus* Aucceuroise, *Johannes* de *Rouva, Nicolaus,* capellanus ducis, *Stephanus*, eiusdem ducis physicus, *Johannes* de *Arcu, Jacobus* de *sancto Johanne*, *Johannes* de *Sartellis*, *Hugo* de *Blaiseyo, Bartholomeus* de *Prumelli, Hugo* de *Montebarri, Gilo* de *Gemeyo, Matheus* de *Granceyo, Aymo* de *Auxona* et *Johannes* de *Trouhans,* canonici dicte capelle jurauerunt se seruaturos dictam compositionem, dixit etiam testis qui loquitur super nonogesimo primo articulo, quod in ecclesia *sancti Stephani* jurauerunt anno predicto, millesimo ducentesimo octuagesimo primo super magnum altare dicte ecclesie *sancti Stephani*. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit, audiuit et presens fuit. Requisitus de mense, septimana et die, dixit quod non recolit. Interrogatus de hora, dixit quod ante prandium prout sibi videtur. Interrogatus de astantibus, dixit quod non recolit dicens ipse qui loquitur quod ipse seruili fecit tunc nomina illorum qui jurauerunt se seruaturos dictam compositionem et nomina eorum habet adhuc penes in scripturis qui jurauerunt anno preterito. Item requisitus super nonogesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui nunc sunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia a tempore litis mote

Art. 93. de qua agitur non videtur quod decanus aut canonici aliqui dicte capelle jurauerunt dictam compositionem se seruaturos. Item requisitus super nonogesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod adhuc et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse et quod fama et vox publica est apud dictas ecclesias quod decanus dicte capelle qui nunc est et quidam alii canonici ipsius capelle qui nunc jurauerunt dictam compositionem noluerunt et nolunt jurare eamdem, licet super hoc fuerunt ex parte dictorum abbatis et conuentus requisiti.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani Diuionis* tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit per juramentum suum dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod bene sunt quinquaginta anni elapsi qod ipse vidit quod ita tenuerunt fratrem *Stephanum* dictum *le François*, canonicum dicti monasterii per plures annos et postmodum tenuerunt et habuerunt et contra ipsum qui loquitur qui seruiuit pro ipsis abbate et conuentu in dicta capella post ipsum fratrem *Stephanum* per quindecim annos vel circa et post ipsum qui loquitur tenuerunt et habuerunt fratrem *Petrum* de *Bisuntio*, deinde fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, et consequenter fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicos regulares dicti monasterii, quem fratrem *Odonem* tenuerunt et habuerunt in dicta capella modo predicto et tenebant et habebant non sunt adhuc sex anni elapsi et post ipsum fratrem *Odonem* tenuerunt et habuerunt in dicta capella modo predicto fratrem *Guillelmum*, dictum *Opitaul*, et ultimo circa duos annos proximo preteritos fratrem *Hugonem*, dictum *Millot*, canonicos dicti monasterii. Interrogatus quis erat abbas dicti monasterii quando primo predicta ita vidit, dixit quod defunctus frater *Petrus*, dictus *Barbote*, tunc erat abbas

Art. 2. dicti monasterii. Interrogatus quis erat tunc decanus dicte capelle dixit quod defunctus dominus *Johannes*, dictus *qui ne rit*, tunc erat decanus et similiter vidit quod tenuerunt et habuerunt in ipsa capella ut dictum est unum canonicum regularem tempore defunctorum fratrum, *Stephansi*, *Gileberti* et *Amedei* ac *Girardi*, quondam abbatum dicti monasterii et tempore defunctorum *Johannis*, dicti *Marchand*, et *Petri*, quondam decanorum predicte capelle et etiam tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii et tempore magistri *Lamberti*, nunc decani dicte capelle. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus quinquaginta annorum et etiam tempus cuius initii memoria non existit, est longum. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus que ibi habuerunt et cetera, dixit per juramentum suum quod bene sunt quadraginta anni, et amplius elapsi quod dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt ipsum qui loquitur in dicta capella ad seruiendum et faciendum diuinum officium, sicut unus de canonicis dicte capelle et post dictos quadraginta annos servierunt in dicta capella per ipsum testem qui loquitur per quindecim annos vel circa et per dictum tempus quindecim annorum vel circa ipse sedebat et sedere consueuerat in prima sede post decanum ipsius capelle, et post dictum decanum primam ebdomadam faciebat et facere consueuerat sine aliqua contradictione dicens ipse qui loquitur per juramentum suum ipse credit, quod a tempore cuius principii memoria non existit dictus canonicus, quem ibidem dicti abbas et conuentus tenuerunt, ut dictum est, sedebat et sedere consueuerat in dicta prima sede post decanum eiusdem capelle et post ipsum decanum primam ebdomadam faciebat quia nunquam audiuit dici nec sciuit contrarium usque ad tempus litis mote de qua agitur inter partes, et usque ad tempus in quo frater *Odo*, predictus seruiuit

Art. 3, 4. in dicta capella videlicet a quinquaginta annis proximo preteritis, usque circa quinque annos subsequentes. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod a quinquaginta annis proximo preteritis usque ad subsequentes viginti quinque annos, predicta compositio obseruata fuit inter dictas partes prout supradixit ipse qui loquitur et per tempus illud perceperunt et habuerunt dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* grossos fructus unius prebende in dicta capella antequam dicte prebende essent diuise sicut unus ex canonicis dicte capelle et a tempore quo dicte prebende distincte sunt seu diuise, usque ad tempus predicte appellationis habuerunt et perceperunt in bursa communi dictorum decani et capituli grossos fructus unius prebende in pecunia causam scientie reddens, sicut supradixit super undecimo, tricesimo quinto et tricesimo nono articulis, et quia pluries audiuit dici a viginti quinque annis super preteretis a fratre *Regnaudo*, canonico tunc et cellerario dicti monasterii quod cellerarius predicte capelle sibi nomine dicte ecclesie *sancti Stephani* satisfaciebat quolibet anno de grossis fructibus predictis in pecunia de bursa communi dictorum decani et capituli. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit quod bene sunt quinquaginta anni elapsi et amplius quod ipse est canonicus dicti monasterii et ex tunc per plures annos et quasi continuo moram traxit in dicto monasterio duobus annis vel circa exceptis per quos fuit prior prioratus de *Thart*, et multis vicibus de quarum numero nunquam posset recolere vidit usque ad tempus predicte appellationis emisse ex parte dictorum decani et capituli super qua appellatione agitur inter dictas partes, quod dicti abbas et conuentus habuerunt et in possessione vel quasi fuerunt, percipiendi panem et vinum in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle

Art. 5. et vidit nuntium *sancti Stephani* predicti tempore statuto videlicet tempore aduentus domini et quadragesimo, ire ad cellarium dicte capelle et deferre secum quoddam vas et manutergium seu nappam et vidit dictum nuntium reuerti ad predictum monasterium *sancti Stephani* portantem vinum in dicto vase et panem in dicta nappa, quod vinum et quem panem, idem nuntius nomine dictorum abbatis et conuentus percipiebat et habebat a cellerario dicte capelle, vel eius mandato sicut unus ex canonicis dicte capelle per suum nuntium percipiebat et habebat et de huiusmodi vino bibit et de pane comedit, pluribus vicibus per dictum tempus in refectorio dicti monasterii et alibi in dicto monasterio, tempore abbatum et decanorum supradictorum et habuit et percepit nomine dictorum et conuentus distributiones cothidianas in dicta capella ipse qui loquitur sicut unus ex canonicis dicte capelle et similiter dicti fratres *Stephanus*, dictus *Le François,* per quem dicti abbas et conuentus ante testem qui loquitur seruierunt in dicta capella, *Petrus* de *Bisuntio*, *Nicolaus* et *Odo* dictas distributiones cothidianas habuerunt et perceperunt. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita audiuit dici ab eisdem quia istud est notorium et fuit in dicta capella in qua distributiones huiusmodi publice solute fuerunt et soluebant dicto fratri *Odoni* non sunt adhuc sex anni elapsi. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant et cetera, dixit quod tempore dicte appellationis que emissa fuit ex parte dictorum decani et capituli bene sunt nouem anni elapsi vel circa predicti abbas et conuentus possidebant predicta jura et erant in possessione vel quasi jurium predictorum secundum quod supradixit ipse qui loquitur, quia percipiebant dictos grossos fructus in pecunia de bursa communi dictorum decani et capituli et tunc tenebant dictum fratrem *Odonem* in dicta capella qui percipiebat eorum

Art. 6 à 12. nomine distributiones cothidianas ut dictum est, et etiam percipiebant et habebant panem et vinum modo predicto nec adhuc recusauerant dicti decanus et capitulum dictis abbati et conuentui soluere predicta jura, nec recusabant, nec etiam tempore dicte appellationis erat dissentio inter dictas partes super dictis juribus prout dicit testis qui loquitur. Item requisitus super sexto, septimo, octauo, nono, decimo et undecimo articulis, dixit quod credit dictos articulos veros esse, quia non sunt novem anni elapsi quod ipsi possidebant predicta jura, et dicta appellatione pendente super qua adhuc agitur inter dictas partes, decanus et capitulum et canonici dicte capelle et etiam post dictam appellationem denegauerunt et recusauerunt respondere dictis abbati et conuentui de pane et vino, distributionibus cothidianis et de grossis fructibus predictis ipsos de eisdem juribus suis indebite spoliando, quia ipse qui loquitur nescit causam quare deberent dictos abbatem et conuentum ita spoliare predictis nisi ut compellerent eos cedere juri suo et a causa ipsa desistere. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit per juramentum suum quod de contentis in primo, secundo, tertio, quarto et quinto articulis dicti libelli attemptatorum est et diu fuit vox communis et fama publica, apud dictas ecclesias *sancti Stephani* videlicet et capelle et etiam fuit et est vox communis super contentis in nono articulo dicti libelli, hoc excepto, quod nescit, utrum sit vox communis in dicta capella quod dicti decanus et capitulum contenta in dicto articulo fecerunt irrationabiliter et injuste sed dicta vox communis est et fuit super hoc in dicta ecclesia *sancti Stephani* videlicet inter abbatem et conuentum et consiliarios eorum. Item interrogatus cuius conditionis sit ipse qui loquitur, dixit quod ipse est cantor et canonicus dicti monasterii *sancti Stephani*. Item interrogatus quorum

Art. 2. annorum sit, dixit quod ipse bene compleuit septuagesimum annum. Item interrogatus si unquam fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, dixit quod non. Item interrogatus quam partem vellet obtinere, dixit quod dictos abbatem et conuentum, sed pro eis non degeraret. Item interrogatus utrum fuerit doctus, rogatus vel instructus vel utrum prece et cetera, dixit quod non.

Undecimus testis.

Frater *Johannes Vosselli* de *Castellione* super *Loygnon* presbiter canonicus dicti monasterii *sancti Stephani* testis productus ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum dicte capelle receptus, juratus et examinatus; requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod bene sunt quinquaginta anni elapsi et amplius, quod ipse qui loquitur est canonicus et fuit receptus in canonicatu predicti monasterii *sancti Stephani* per defunctum fratrem *Amedeum* quondam dicti monasterii abbatem et ex tunc ipse vidit quod ipsa ecclesia *sancti Medardi* cum suo parochiatu fuit pleno jure et monasterii *sancti Stephani* predicti et immediate respondit et respondet in spiritualibus et temporalibus per tempus predictum, abbati et ecclesie *sancti Stephani* diuionensis predicti, et quod abbas dicti monasterii consueuit instituere in dicta ecclesia *sancti Medardi* vicarium suum tempore sui regiminis sacristam dicti monasterii qui etiam abbas pro tempore, sicut dicit testis qui loquitur consueuit recipere curam dicte ecclesie *sancti Medardi*, ab episcopo lingonensi quando confirmatur ab ipso episcopo in dicti monasterii abbatem et creatus nouus est abbas, et de exitibus dicte ecclesie *sancti Medardi* dictus

Art. 6, 9 à 12. sacrista quando institutus et vicarius dicte capelle tenetur facere certas missiones in predicto monasterio, que officio ipsius sacriste incumbunt, et ita vidit et audiuit a dicto tempore usque nunc. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit quod a dicto tempore quo ipse fuit canonicus dicti monasterii citra ipse audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit et etiam ita dictum fuit et dicitur communiter apud *Diuionem* quod castrum de *Diuione* prout clausura murorum dicti castri designat et circuitus dictorum murorum fuit et est in parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi* in quo quidem castro dicta ecclesia constructa fuit et edificata, excepta quadam parte, que est extra muros dicti castri et dicitur communiter apud dictam *Diuionem* quod dicta capella excepta parte predicta edificata fuit et constructa in parochiatu et intra parochiatu *sancti Medardi* et ita audiuit dici pluries a pluribus de quorum nominibus non recolit. Interrogatus quando primo predicta vidit et audiuit, dixit quod bene sunt quinquaginta anni elapsi et a dicto tempore citra ita audiuit pluries et vidit in dicto monasterio. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit in dicto monasterio *sancti Stephani* quod quadam compositio facta fuit inter dictas partes que fuit confirmata per sedem apostolicam super qua compositione agitur inter ipsas partes. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia tempore fratris *Amedei* quondam abbatis dicti monasterii *sancti Stephani* qui vexit per triginta duos annos vel circa sicut dicit ipse qui loquitur non erat aliqua dissentio inter dictas partes. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est et cetera, dixit

rt. 13, 32, 35, 36. quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et apud *Diuionem* quod ipsa ecclesia *sancti Medardi* cum suo parochiatu fuit pleno jure et est monasterii *sancti Stephani* predicti et immediate respondet et respondit per tempore cuius principii memoria non existit in spiritualibus abbati et ecclesie *sancti Stephani* diuionensis et quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis constructa fuit et edificata in parochiatu et intra parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi* hoc excepto quod supra excepit ipse qui loquitur et quod quadam compositio sita fuit inter partes super qua modo agitur inter ipsas partes que fuit per sedem apostolicam confirmata et obseruata ab ipsis partibus per aliqua tempora. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod communiter dicitur prout intendit. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod nescit nisi quod ita dicitur a multis. Item requisitus super tertiodecimo et tricesimo secundo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod contenta in dicto articulo sunt notoria et publica apud ecclesias *sancti Stephani* et capelle predictas. Requisitus quomodo scit, dixit quia audiuit ita dici pluries et a pluribus a quinquaginta annis citra, tam in dicto monasterio *sancti Stephani* quam in predicta capella, videlicet tempore fratris *Amedei* et fratris *Girardi* quondam abbatum dicti monasterii et etiam tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti loci, nec recolit de astantibus quando ita audiuit dici nec a quibus audiuit dici, nisi quod ita vulgariter dicebatur et adhuc dicitur. Item super tricesimo sexto articulo, dixit se nihil scire, nisi quod a tempore et per tempus quo ipse fuit canonicus dicti monasterii multototiens audiuit dici in dicto monasterio

Art. 37. a pluribus de quorum nominibus non recolit, quod ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani* percipiebat unam prebendam in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle.

Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod illo tempore quo ipse fuit receptus in canonicum dicti monasterii, defunctus frater *Arnulphus*, quondam canonicus dicti monasterii, seruiebat in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et ipsum vidit pluries ire ad dictam capellam ad seruiendum in eadem pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et audiuit dici ab ipso quod de pecunia que in singulis annis solui consueuit canonicis dicte capelle pro anniuersariis tantum percipiebat : idem frater *Arnulphus* quantum unus de canonicis dicte capelle. Interrogatus quando primo ita vidit et audiuit, dixit quod bene sunt quinquaginta anni elapsi et amplius. Requisitus de astantibus, dixit quod non recolit; de loco, dixit quod ita vidit et audiuit in dicto monasterio; de hora, dixit quod hora qua itur ad matutinas et aliis horis dici, ita vidit, et simili modo post modum vidit de defuncto fratre *Stephano*, dicto *Le François*, quondam canonico dicti monasterii, seruiente in dicta capella quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et audiuit dici ab eo quod percipiebat dictas distributiones sicut unus ex canonicis dicte capelle et similiter vidit postea de fratre *Parisio*, nunc cantore dicti monasterii, et de fratre *Nicolao*, dicto *Laudate*, consequenter ac tandem de fratre *Odone*, dicto *Verroquier*, canonicis dicti monasterii quos vidit seruire in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et qui pluries dixerunt ipsi qui loquitur quod percipiebant dictas distributiones, sicut unus ex canonicis dicte capelle, dixit etiam ipse qui loquitur quod tempore quod dictus frater *Nicolaus* seruiebat in dicta capella pro dicta

Art. 38, 39. ecclesia *sancti Stephani,* ipse vidit ter vel quatuor quod quando idem frater *Nicolaus* faciebat sibi sanguine minui dominus *Johannes,* dictus *Noiroz,* presbyter chori dicte capelle, tradebat dicto fratri *Nicolao* pecuniam dicendo eidem ecce distributiones vestras quas pro vobis recepi in dicta capella, quas recipiebat dictus frater *Nicolaus* in dicto monasterio existens. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a quinquaginta quinque annis preteritis ad duos annos nuper elapsos abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle et ita vidit primo, de dicto fratre *Arnulpho* et post modum de dicto fratre *Stephano* et consequenter ita vidit de dicto cantore, de dicto fratre *Nicolao* et fratre *Odone,* dicto *Verroquier,* canonicis dicti monasterii, quos, cantorem *Nicolaum,* et *Odonem* quemlibet eorum videlicet ipse qui loquitur, vidit in dicta capella celebrare magnam missam in dicta capella ad magnum altare ipsius capelle et post dictum fratrem *Odonem,* ipse vidit quod frater *Hugo,* dictus *Milloz,* canonicus dicti monasterii, ibat ad dictam capellam ad seruiendum in ea pro dicta ecclesia *sancti Stephani* non sunt adhuc duo anni elapsi a quo fratre *Hugone* audiuit dici quod nihil distribuebatur, eidem in dicta capella, licet faceret et paratus esset facere diuinum officium in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani,* sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* predicti prebendam unam et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod ita audiuit dici pluries in dicto monasterio a quinquaginta annis citra a pluribus de quorum nominibus non recolit, quod abbas et conuentus percipere consueuerunt in dicta capella seu de bonis dicte capelle unam prebendam et ita dicitur com-

Art. 40 à 51. muniter. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod abbas et conuentus dicti monasterii, habuerunt et perceperunt, et habere et percipere consueuerunt in predicta capella unam prebendam integram, sicut unus canonicus capelle predicte et distributiones que consueuerunt solui pro anniuersariis similiter et quod seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis, idoneum et fidelem, sicut et unus ex canonicis dicte capelle, causam scientie reddens, quia ita pluries dici audiuit a multis. Item requisitus super quadragesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit quod decanus et capitulum dicte capelle diuiserunt prebendas suas et habent prebendas distinctas et quod quando aliquis canonicorum dicte capelle moritur abbas et conuentus dicti monasterii consueuerunt percipere per annum prebendam ipsius canonici mortui et ita audiuit dici pluries in dicto monasterio a tempore quo fuit canonicus dicti monasterii sed non recolit quando primo nec quando secundo ita audiuit. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella et cetera, divit quod a tempore quo ipse fuit canonicus dicti monasterii usque nunc ipse audiuit dici pluries et communiter adhuc ita dicitur apud *Diuionem* quod totum castrum de *Diuione*, in quo dicta capella pro majori parte consistit, est in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi* que est et esse consueuit dicti monasterii *sancti Stephani* pleno jure. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit et cetera, dixit quod dictum privilegium nunquam vidit sed bene sunt quadraginta anni elapsi et etiam de quadraginta

Art. 60 à 68. annis citra quod ipse audiuit dici, quod decanus capelle predicte habebat curam animarum ducis et ducisse tantummodo.

Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre et cetera, dixit quod a tempore quo ipse fuit canonicus dicti monasterii citra ipse audiuit dici pluries quod terre, domus, vinee et possessiones site intra fines parochiatuum ecclesiarum *sancti Medardi* et *beate Marie Diuionis*, in quibus parochiatibus dicta capella consistit necnon parochiatum ecclesiarum *sancti Nicolai*, *sancti Petri* et *sancti Michaelis* de *Diuione* pertinentium ad dictum monasterium pleno jure fuerunt ab antiquo et consueuerunt esse censuales dicte ecclesie *sancti Stephani* et abbati et conuentui loci eiusdem. Interrogatus a quibus audiuit dici, dixit quod non recolit. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est baptismalis. Interrogatus quomodo scit, dixit quod in fontibus qui sunt ibidem vidit plures pueros baptisari et communiter pueri qui nascuntur in dicto castro de *Diuione* consueuerunt baptisari in dicta ecclesia *sancti Stephani*, et quod abbas *sancti Stephani* predicti habent curas predictarum ecclesiarum et consueuit instituere suos vicarios in eisdem et ita vidit a quinquaginta annis citra. Item requisitus super sexagesimo secundo, tertio, quarto et quinto articulis, dixit dictos articulos veros esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod a tempore quo fuit canonicus dicti monasterii ita audiuit dici et quod contenta in dictis articulis sunt notoria apud *Diuionem*. Item requisitus super sexagesimo sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici pluries et a pluribus de quorum nominibus non recolit quod dicti decanus et capitulum et canonici generaliter de illis

Art. 69. domibus quas habent et quas acquisiuerunt intra dictas parochias, censum soluere recusant dictis abbati et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* et quod se opponunt contentis in dictis articulis et impediuerunt et impediunt eadem. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit et cetera, dixit quod publica vox et fama est et fuit apud *Diuionem* quod terre, vinee et possessiones site intra dictas parochias, *beate Marie, sanctorum Medardi, Nicolai, Michaelis* et *Petri, Diuionis*, de consuetudine antiquissima et approbata sunt et esse consueuerunt decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* predicti et quod domus, terre, vinee et possessiones site in parochiis et intra fines parochiatuum predictorum fuerunt ab antiquo et esse consueverunt dicte ecclesie, abbati et conuentui *sancti Stephani* censuales sunt excepte jure aliquo speciali, et fuit et est similiter publica vox et fama apud dictam capellam et apud dictam*Diuionem* quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et per tantum tempus cuius principii memoria non existit ecclesia baptismalis habens predictas quinque parochias *beate Marie, sanctorum Medardi, Nicolai, Michaelis* et *Petri, Diuionis*, sub se pertinentes ad ipsam ecclesiam *sancti Stephani* pleno jure. Et quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et receperunt ab antiquo et percipi et recipi fecerunt, census ex domibus, terris, vineis et possessionibus aliis existentibus intra parochias predictas et parochiatus earum et quod perceperunt ab antiquo et percipi et recipi fecerunt ex dictis terris, vineis et possessionibus seu ex fructibus inde querentibus decimas tanquam spectantes ad eos abbas et conuentus ecclesie supradicte et fuerunt in possessione vel quasi juris percipiendi predicta pacifice et quiete, causam scientie reddens, quia istud est notorium apud *Diuionem* et apud dictas ecclesias sed bene audiuit dici

Art. 76 à 93. quod illi de capella, recusant soluere dictis abbati et conuentui censum et decimas predictos licet ad hoc teneantur. Item requisitus super septuagesimo sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo tertio, quarto quinto, sexto et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant anno domini millesimo ducentesimo et cetera. Item requisitus super nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, hoc excepto quod bene suntdecem et nonem anni elapsi prout sibi videtur quod defunctus frater *Girardus* tunc abbas dicti monasterii ipse qui loquitur et plures alii canonici dicti monasterii de quorum nominibus non recolit, ad predictam capellam personaliter accedentes jurauerunt in dicta capella se seruaturos quemdam compositionem et quod haberent et tenerent fidelitatem, cum illis de dicta capella premiserunt. Interrogatus de mense, die et astantibus, dixit quod bene non recolit, de hora dixit quod ante prandium et postea incontinenti quidam canonici dicte capelle de quorum nominibus non recolit inter quos erat ut dicit defunctus *Hugo* de *Montebarri* quondam canonicus dicte capelle jurauerunt in ecclesia *sancti Stephani* predicti se seruaturos quemdam compositionem quam dicte partes olim inter se fecisse dicebantur et promiserunt fidelitatem seruare dicte ecclesie *sancti Stephani* et ita vidit et audiuit dicens quod bene credit quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle qui nunc sunt nolunt dictum juramentum facere nec dictam fidelitatem.

Art. 1. Item requisitus super primo libelli attemptatorum articulo, qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani, beate Marie* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit per juramentum suum dictum

Art. 2 à 4. articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ita vidit a quinquaginta quinque annis proximo preteritis usque ad duos annos nuper elapsos quod tenuerunt et habuerunt sicut in dicto articulo continetur fratrem *Arnulphum*, defunctum quondam canonicum dicti monasterii bene sunt quinquaginta anni elapsi et amplius et post ipsum fratrem *Arnulphum* tenuerunt et habuerunt ut dictum est defunctum fratrem *Stephanum*, dictum *le François,* quondam canonicum dicti monasterii, ac fratrem *Parisium*, nunc cantorem dicti monasterii, post ipsum fratrem *Stephanum*, et post ipsum fratrem *Parisium*, fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, quondam canonici dicti monasterii, et deinde fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii, et nunc priorem de *Marcennaio* quem fratrem *Odonem* tenuerunt et habuerunt ut dictum est non sunt adhuc quatuor anni elapsi, quos fratrem *Parisium* cantorem necnon dictos fratres *Nicolaum* et *Odonem*, tempore quo dicti abbas et conuentus ipsos tenuerunt et habuerunt in dicta capella ut dictum est, vidit ibidem celebrare magnam missam et magnum altare ipsius capelle, et primo ita vidit tempore defuncti fratris *Amedei* quondam dicti monasterii abbatis, et tempore abbatis *Girardi* defuncti, post modum et tandem tempore fratris *Hugonis* nunc abbatis dicti monasterii. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod ita audiuit dici a dictis fratribus *Parisio* cantore et *Odone Verroquier*. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt et cetera, dixit quod ita dicitur communiter in dicto monasterio et pluries ita audiuit dici bene sunt quinquaginta anni elapsi et etiam a dictis a quinquaginta annis citra. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item

Art. 5 à 11. quod abbas et canonicus predicti habuerunt et diuturius temporibus et cetera, dixit dictum articulum verum esse, causam scientie reddens super distributionibus cothidianis, quia ita audiuit dici a predictis fratribus *Parisio* cantore, *Nicolao* et *Odone* et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit et quia ita vidit bene sunt quinquaginta anni elapsi et a dictis quinquaginta annis usque ad sex annos nuper preteritos quod dicti abbas et conuentus perceperunt panem et vinum in dicta capella tempore aduentus domini et quadragesime et de dicto pane pluries comedit et de vino bibit in dicto monasterio, dicens quod contenta in dicto articulo ita sunt et fuerunt notoria apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et etiam apud *Diuionem* in pluribus locis quod non indigent probatione. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant et cetera, dixit quod de tempore appellationis predicte nihil scit, sed credit quod dicti abbas et conuentus possidebant jura contenta in dicto articulo quantum ad panem et vinum et distributiones cothidianas circa sex annos proximo preteritos. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod adhuc non sunt octo anni elapsi quod percipiebant et in possessione vel quasi percipiendi erant, dictos panem et vinum causam scientie reddens quia ita vidit non sunt adhuc octo anni elapsi et credit quod dictus frater *Odo Verroquier* percipiebat nomine dicte ecclesie *sancti Stephani* distributiones cothidianas circa sex annos proximo preteritos maxime quia videtur sibi quod ita dici audiuit a dicto fratre *Odone* in dicto monasterio, sed non recolit de astantibus nec de die, septimana, mense et hora. Item requisitus super septimo, octauo, nono, decimo et undecimo articulis, dixit quod credit dictos articulos veros esse quia adhuc non sunt duodecim anni elapsi prout

Art. 12. sibi videtur quod lis non erat mota nec pendebat inter dictas partes in curia romana, et ab octo annis citra dicti decanus et capitulum et canonici dicuntur denegasse et recusasse predictis abbati et conuentui respondere de distributionibus cothidianis pane et vino. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod a tempore quo ipse qui loquitur fuit receptus in canonicum dicti monasterii bene sunt quinquaginta quinque anni elapsi vel circa, videlicet usque nunc fuit vox communis et fama publica apud *Diuione* et apud ecclesias predictas et adhuc est quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt ac etiam in possessione vel quasi fuerunt juris tenendi et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle et est similiter publica vox et fama et fuit apud dictum monasterium *sancti Stephani* quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et perceperunt longeuis temporibus et etiam in possessione vel quasi fuerunt per longa tempora juris habendi et percipiendi grossos fructus unius prebende in dicta capella necnon panem et vinum et distributiones cothidianas, sicut unus ex canonicis dicte capelle et predicta jura possidebant non sunt adhuc octo anni elapsi et quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle lite mota et pendente inter dictas partes in curia romana denegauerunt et recusauerunt respondere predictis abbati et conuentui de distributionibus cothidianis et pane et vino et de grossis fructibus dicte prebende irrationabiliter et injuste et sibi subtraxerunt predicta eosdem abbatem et conuentum suis juribus supradictis indebite spoliando, causam scientie reddens quia ita dicitur communiter in dicto monasterio nec aliud scit de premissis articulis. Item interrogatus quid est dicere

publica vox et fama, dixit quod illud quod dicitur a multis prout sibi videtur. Interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod ipse est presbyter et canonicus dicti monasterii *sancti Stephani*. Item interrogatus quam partem vellet obtinere in dicta causa, dixit quod illam que jus haberet. Item interrogatus utrum fuerit instructus ab aliquo ut ita deponeret et utrum prece vel pretio habito vel habendo et cetera, super hoc ferat testimonium, dixit quod non,

Duodecimus testis.

Art. 2, 6. Frater *Humbertus* de *Albans* canonicus predicti monasterii *sancti Stephani* testis productus ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi Diuionis* cum suo parochiatu est et cetera, dixit per juramentum suum quod bene sunt viginti quinque anni elapsi et amplius quod ipse est et fuit receptus in canonicum predicti monasterii *sancti Stephani* et ex tunc ipse vidit quod dicta ecclesia *sancti Medardi* fuit et est pleno jure monasterii *sancti Stephani* diuionensis et immediate respondet et respondit in spiritualibus et temporalibus per tempus predictum abbati et ecclesie *sancti Stephani* predicti et vidit quod per dictum tempus sacrista dicti monasterii *sancti Stephani* qui fuit pro tempore regebat dictam ecclesiam *sancti Medardi* per se vel per alium tanquam vicarius in hac parte abbatis dicti monasterii ad quem abbatem spectat cura ecclesie dicte *sancti Medardi* et etiam cura omnium ecclesiarum parochiatuum de *Diuione*, duabus exceptis, videlicet ecclesia *sancti Johannis* et ecclesia *sancti Philiberti* quarum abbas *sancti Benigni* diuionensis est patronus. Item requisitus super sexto articulo qui sic

Art. 9 à 11. incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit quod dicta capella edificata fuit in parochiatu et intra parochiatum dicte ecclesie *sancti Medardi* ad ecclesiam *sancti Stephani* sicut dictum est pertinentis excepta quadam parte que est extra muros castri de *Diuione* que pars est edificata fuit in parochiatu et intra parochiatum ecclesie *beate Marie Diuionis* pertinentis pleno jure ad predictam ecclesiam *sancti Stephani*. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit contineri in quibusdam litteris seu priuilegiis que sunt penes religiosos dictos *sancti Stephani*. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato et cetera, item et super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit quod ipse vidit quamdam compositionem que facta fuit inter predictas partes et que fuit confirmata auctoritate sedis apostolice tenore dicte compositionis inserto de verbo ad verbum in litteris apostolicis quas ipse qui loquitur vidit et legit sub tenore contento in dicto decimo articulo, dixit etiam quod ipse vidit dictam compositionem, cuius tenor continetur et insertur in dicta confirmatione sigillatam quinque sigillis videlicet sigillis abbatis et conuentus, *Odonis*, quondam ducis *Burgundie*, et sigillis decani et capituli dicte capelle prout prima facie apparebat. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit quod ipse vidit dictam compositionem obseruari inter dictas partes a viginti quinque annis proximo preteritis usque circa decem annos sequentes in hoc videlicet quod per dictum tempus nulla erat dissentio inter dictas partes super pane et vino nec super prebenda panis et vini quem panem et vinum vidit multociens apportari per dictum tempus et etiam sepissime et frequenter et de pane huiusmodi comedit et vino bibit in dicto monasterio ad mensam abbatis dicti loci et alibi,

Art. 12. dicens quod istud est notorium apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle, dicens etiam quod per dictum tempus multociens audiuit dici a domino *Hugone Sautrelli* aduocato et consiliario dicti monasterii et etiam a fratre *Regnaudo* abbate de *Cellis* quondam canonico et cellerario predicti monasterii quod ipsi nomine abbatis et conuentus dicti monasterii pluries computabit, cum decano et capitulo dicte capelle vel eorum mandato super grossis fructibus unius prebende dicte capelle quos abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* predicti percipiebat et percipere consueuerat annuatim de bonis dicte capelle et super fructibus prebendarum canonicorum dicte capelle defunctorum quos fructus dictorum canonicorum defunctorum ecclesia predicti *sancti Stephani* percipere consueuerat per annum et dicebant dicti *Hugo* et frater *Regnaudus,* quod dicti decanus et capitulum aut eorum mandatum super huiusmodi computo satisfaciebant eis nomine quo supra de valore dictorum fructuum in pecunia vel faciebant alias gratum suum super hoc et vidit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* seruiebat in dicta capella per fratrem *Nicolaum,* dictum *Laudate,* quondam canonicum dicti monasterii, a quo fratre *Nicolao* audiuit dici pluries quod percipiebat in dicta capella distributiones cotbidianas sicut unus ex canonicis dicte capelle et vidit aliquocies ipse qui loquitur quod quando idem frater *Nicolaus* faciebat sibi flecbotomari dicte distributiones asportabantur eidem de dicta capella, sed non recolit de nomine illius qui ita asportabat.

Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod audiuit dici a viginti quinque annis citra a pluribus de quorum nominibus non recolit, et etiam ita dicitur communiter apud *Diuionem* quod ecclesia *sancti Medardi* predicta est et fuit ecclesia parochialis per plura

Art. 13, 32, 35. tempora et per tantum tempus cuius principii memoria non existit et quod ipsa ecclesia cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* diuionensis per tempus predictum, et per dictum tempus respondet et respondit in temporalibus et spiritualibus abbati et ecclesie *sancti Stephani* predicti, et quod dicta capella edificata fuit in parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi* sicut per ipsum qui loquitur supradictum est. Item requisitus super tertiodecimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia et cetera, dixit quod bene sunt tresdecim anni elapsi quod defunctus frater *Girardus*, quondam et tunc abbas dicti monasterii *sancti Stephani*, et defunctus dominus *Artaudus*, quondam decanus dicte capelle, comparuerunt coram domino *Roberto*, duce *Burgundie*, apud *Sedelocum* Eduensis diocesis presente ipso qui loquitur quadam die de qua non recolit, et tunc dictus abbas conquestus fuit dicto domino duci tanquam conseruatori dicte compositionis quod decanus et capitulum dicte capelle infringebant et veniebant contra dictam compositionem in pluribus articulis, et tunc idem abbas reportauit quemdam litteram a predicto duce quam non legit ipse qui loquitur sed credit quod continebatur in ea quod dicti decanus et capitulum compellerentur ad obseruantiam compositionis predicte, et vidit dictas partes litigare coram dominis *Johanne* de *Sinemuro*, clerico dicti domini ducis, et *Richardo* de *Montemoreti*, bailliuo *Diuionis*, commissariis dicti domini ducis, post ea, coram quibus commissariis ordinatum fuit quod omnia acta et munimenta cause mote inter dictas partes occasione dicte compositionis traderentur dicto domino duci ut ferret sentiam super ipsis. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit quod ordinatum fuit coram dictis commissariis, sicut supra proximo dixit. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit pro-

Art. 36 à 39. bare dictus procurator et cetera, dixit quod a tempore quo receptus fuit in canonicum dicti monasterii ita audiuit dici pluries et communiter et quod istud fuit et est notorium et publicum apud dictum monasterium *sancti Stephani.* Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod ita dicitur et ita audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius quod ipse vidit quod frater *Nicolaus,* dictus *Laudate,* canonicus dicti monasterii, seruiebat in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani,* a quo audiuit dici pluries quod de contentis in dicto articulo tantum percipiebat seruiendo in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* quantum unus ex canonicis dicte capelle, et ita similiter audiuit dici a fratre *Odone,* dicto *Verroquier,* seruiente postmodum in dicta capella pro eadem ecclesia *sancti Stephani* qui sibi pluries per tempus quo seruierunt in dicta capella demonstrarunt pecuniam quam dicebant se recepisse in dicta capella pro dictis anniuersariis. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a viginti quinque annis proximo preteritis usque ad duos annos nuper elapsos abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut unus de canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quod ita vidit per tempus predictum et dicitur communiter in dicto monasterio quod seruierunt in dicta capella modo predicto a tempore dicte compositionis, dicens ipse qui loquitur quod per dictum tempus quo ita vidit non audiuit nec sciuit quod super contentis in ipso articulo esset vel fuerit contentio seu questio inter dictas partes. Item requisitus super tricesimo nono

Art. 40. articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia et cetera, dixit quod bene sunt tresdecim anni elapsi et amplius quod audiuit dici a domino *Hugone Sautrelli* et fratre *Regnaudo*, tunc canonico et cellerario dicti monasterii, quod dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* prebendam unam perceperunt de bonis dicte capelle sicut supradixit super undecimo articulo, et dicitur communiter in dicto monasterio quod dicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle prebendas suas dicte capelle diuiserunt et distinxerunt et eas assignauerunt in certis locis percipiendis canonicis dicte capelle prebendam distinctam eidem ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* assignare obmittentes et recusantes propter quod lis est inter dictas partes. Item requisitus quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est et cetera, dixit quod vox et fama publica fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et ceperunt et habere et percipere consueuerunt in predicta capella unam prebendam integram, sicut unus canonicus capelle predicte et ipsam perceperunt in dicta capella eodem modo quo canonici residentes et deseruientes in ipsa capella perceperunt et habuerunt et quod tempore dicte compositionis et post aliquanto tempore fructus redditus et obuentiones et bona prouenentia occasione dicte capelle recipiebantur a cellerario dicte capelle et per ipsum cellerarium distribuebantur equaliter inter canonicos ita quod tantum inde percipiebat a dicto cellerario ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani* quantum unus de canonicis dicte capelle et quod de pecunia que in singulis annis canonicis dicte capelle solui consueuit pro anniuersariis tantum percipiebat ecclesia *sancti Stephani* desseruiens per unum de canonicis suis in eadem capella quantum unus de canonicis ipsius capelle et quod a tempore dicte compositionis per sedem apostolicam con-

Art. 41 à 50. firmate usque ad duos annos nuper preteritos, abbas et conuentus dicti monasterii fuerunt in dicta capella per unum de canonicis suis, idoneum et fidelem, sicut et unus de canonicis dicte capelle et quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* predicti prebendam unam perceperunt de bonis dicte capelle usque ad tempus quo decanus et capitulum predicti diuiserunt et distinxerunt dictas prebendas et eas assignarunt in certis locis percipiendis canonicis dicte capelle prebendam distinctam eidem ecclesie, abbati et conuentui assignate obmittentes et recusantes. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita dicitur communiter et quod predicta fuerunt et sunt publica et notoria in locis supradictis. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod a multis refertur prout videtur ipsi qui loquitur. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit ab illis qui ita viderunt et retulerunt.

Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et cetera, dixit quod contenta in dicto articulo pluries audiuit dici a multis de quorum nominibus non recolit et credit quod idem articulus verus sit quia plures canonici dicte capelle ita dixerunt sibi. Item requisitus super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire, hoc excepto quod bene sunt sexdecim anni elapsi tempore abbatis *Girardi* quod ipse audiuit dici a fratre *Regnaudo,* tunc canonico et cellerario dicti monasterii, quod ipse requisiuerat dictos decanum et capitulum super contentis in dicto quadragesimo secundo articulo. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod ita audiuit dici a fratre *Hugone* nunc abbate dicti monasterii. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod

Art. 51, 61. dicta capella et cetera, dixit quod dicitur communiter et dictum fuit apud *Diuionem* quod castrum de *Diuione* et quicquid est intra muros dicti castri in quo castro dicta capella consistit et edificata fuit excepta quadam parte dicte capelle que est extra muros dicti castri et quicquid est circum circa dictam capellam siue sint domus decani siue canonicorum in dicto castro est in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi* que est et esse consueuit monasterii *sancti Stephani* diuionensis pleno jure. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus terre et cetera, dixit quod a viginti quinque annis citra pluries audiuit dici in dicto monasterio et in aliis pluribus locis et ita communiter dicitur apud *Diuionem* quod domus, terre, vinee et possessiones site in parochiis et intra fines parochiatuum, ecclesiarum *beate Marie, sancti Nicolai, sancti Michaelis, sancti Medardi* et *sancti Petri Diuionis* pertinentium ad predictam ecclesiam *sancti Stephani* et que ecclesie sunt et esse consueuerunt dicti monasterii seu ecclesie *sancti Stephani* pleno jure et specialiter in illo loco in quo dicta capella consistit fuerunt ab antiquo et consueuerunt esse censuales dicte ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* nisi sint excepte jure aliquo speciali et vidit pluries et per plures annos quod nuncii dictorum abbatis et conuentus deputati ad colligendum censum huiusmodi, ibant per loca predicta et colligebant et recipiebant dictum censum maxime per castrum de *Diuione* predictum et vadiabant et vadiare consueuerant illos qui nolebant soluere censum, vel qui recusabant satisfacere sibi, vel conuenire seu concordare cum ipsis de censu ad quem tenebantur occasione premissorum. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod in ecclesia *sancti Stephani* predicti sunt fontes ad baptisandum in quibus commu-

Art. 62 à 64. niter baptisari consueuerunt pueri nascentes in castro de *Diuione* quod castrum est in parochiatu *sancti Medardi* predicti ad dictam ecclesiam *sancti Stephani* pleno jure ut asserit pertinentes et plures pueros audiuit et vidit baptisari in eisdem fontibus, dicens quod abbas *sancti Stephani* diuionensis habet curam quinque ecclesiarum *Diuionis* videlicet, *beate Marie, sancti Nicolai, sancti Michaelis, sancti Medardi* et *sancti Petri* qui sunt dicti monasterii *sancti Stephani* pleno jure et esse consueuerunt et in quibus abbas dicti monasterii consueuit instituere vicarios suos et destituere pro suo libito voluntatis et ita obseruari a XXL annis citra. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones et cetera, dixit quod a viginti quinque annis citra, terre, vinee et possessiones site intra parochias predictas sunt et consueuerunt esse decimales monasterio, abbatui et conuentui decimas percipere et habere, causam scientie reddens quia predicte parochie pertinent ad dictum monasterium pleno jure cum juribus earumdem et quia abbas dicti monasterii consueuit per decimatores institutos ab eo, dictas decimas exigere et leuare et facere exigi et leuari tanquam curatus parochiarum predictarum dicens quod istud est publica et notorium apud *Diuionem*. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit quod ita vidit a viginti quinque annis citra per plures annos videlicet, quod nuncii dictorum abbatis et conuentus, ibant per parochias predictas et recipiebant census predictos et illos qui contradicebant soluere dictum census vadiabant, et istud est notorium apud *Diuionem*, sicut in dicto articulo continetur. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod dictas decimas perceperunt tanquam spectantes ad ipsos causam

Art. 65 à 69. scientie reddens, quia predicte parochie pleno jure pertinent ad dictos monasterium abbatem et conuentum sicut supra dixit. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit quod nunquam sciuit quod aliquis dictos abbatem et conuentum turbaret in predictis imo a viginti quinque annis citra vidit et audiuit quod fuerunt in possessione predicta. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo, dixit quod ita audiuit dici a domino *Hugone* nunc abbate dicti monasterii et a domino *Radulpho* quondam cellerario et receptore dicti loci bene sunt sex anni elapsi et amplius. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo, dixit quod ita audiuit a dictis dominis abbate et *Radulpho* dici et etiam super sexagesimo octauo articulo, dixit quod ita audiuit dici a dictis abbate et *Radulpho*. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit quod super contentis in sexagesimo articulo est et fuit publica vox et fama et fuerunt et sunt publica et notoria apud *Diuionem*, causam scientie reddens, quia ita communiter dicitur apud *Diuionem*, et quia dicta capella edificata fuit pro majori parte in parochiatu ecclesie *sancti Medardi* et pro alia parte que est extra muros castri de *Diuione* in parochiatu ecclesie *beate Marie* eiusdem loci que ecclesie fuerunt et sunt ab antiquo dicti monasterii pleno jure et ad ipsum monasterium *sancti Stephani* pertinent cum parochiatibus earumdem et est et fuit similiter publica vox et fama quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est baptismalis, quia ibi sunt fontes in quibus audiuit et vidit baptisari pueros et quod abbas dicti monasterii est curatus predictarum quinque ecclesiarum et quod abbas et conuentus predicti de terris, possessionibus et vineis sitis intra parochias predictas de consuetudine antiquissima et approbata consueuerunt decimas percipere et habere et

Art. 76 à 79. consueuerunt esse decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* predicti ac perceperunt et receperunt et percipi et recipi fuerunt ab antiquo census ex domibus, terris, vineis et possessionibus aliis consistentibus et existentibus intra parochias predictas et parochiatus earum et dictas decimas percipi et recipi fecerunt abbas et conuentus predicti tanquam spectantes ad eos et fuerunt per dicta tempora in possessione vel quasi juris percipiendi predicta pacifice et quiete et quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle decimam et etiam censum recusant et recusauerunt soluere dictis abbati et conuentui sicut in dictis articulis continetur. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama et unde habuit originem ista publica fama et vox, dixit ut supra.

Item requisitus super septuagesimo sexto et septimo articulis, dixit se nihil scire, nisi de auditu. Requisitus quid audiuit dici et a quibus, dixit bene sunt decem anni anni et amplius elapsi et etiam a decem annis citra quod ipse audiuit dici in dicto monasterio, et alibi a pluribus de quorum nominibus non recolit ad presens, quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt dictis abbati et conuentui censum et decimas et impedierunt et contradixerunt et adhuc contradicunt et impediunt ipsos abbatem et conuentum et monasterium super contentis in dictis articulis. Item requisitus super septuagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis et cetera, dixit quod credit quod de contentis in ipso articulo sit vox et fama in predictis ecclesiis *sancti Stephani* et capelle quia super hoc plures audiuit loqui, a viginti annis citra. Item requisitus super septuagesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod fructus et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia dicitur communiter quod fructus unius prebende dicte capelle et ea que proueniunt ex distributionibus valere consueuerunt cuilibet canonico residenti xx libras turo-

Art. 80 à 86. nenses et plus et tantum consueuit percipere in dicta capella, ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani* seruiens in dicta capella per unum de canonicis suis, quantum unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super octogesimo articulo qui sic incipit. Item quod computatis omnibus et cetera, dixit se nihil scire. Super octogesimo primo articulo, dixit quod credit ipsum articulum verum esse. Interrogatus quare credit, dixit quod propter quod bene sunt decem anni elapsi et amplius quod dicti decanus et capitulum dicuntur denegasse dictis abbati et conuentui censum et decimas, de octogesimo secundo articulo, dixit quod ipsum credit similiter verum esse. Item requisitus super octogesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod de contentis in dictis septuagesimo nono, octogesimo primo et secundo articulis est vox communis in predicto monasterio et ita dicitur communiter in eodem. Item requisitus super octogesimo quarto articulo qui sic incipit. Primo quod a tempore cuius principii et cetera, dixit quod tempore fratris *Girardi*, quondam abbatis dicti monasterii, bene sunt quindecim anni elapsi et amplius, ipse audiuit communiter in dicto monasterio quod dux *Burgundie* tanquam patronus et conseruator dicte compositionis confirmate compellebat, dictas partes et quamlibet earum venientem contra dictam compositionem ad obseruationem dicte compositionis, quando requirebatur super hoc ab aliqua earum de altera conquirente et vidit contineri in dicta compositione quod *Odo*, quondam dux *Burgundie*, dictam compositionem laudauit et promisit quod eam faceret obseruari. Item requisitus super octogesimo quinto articulo, dixit quod credit quod verus sit quia ita communiter dicitur in dicto monasterio. Item requisitus super octogesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et diu fuit et cetera, dixit quod de con-

Art. 89 à 93. tentis in dictis octogesimo quarto et quinto articulis, fuit communis vox et fama, quia ita dicitur communiter. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod dictus articulus verus est, in hoc videlicet quod ipse vidit pluries quod dicti abbas et conuentus percipiebant et habebant panem et vinum in dicta capella et audiuit dici ut dictum est quod percipiebant grossos fructus unius prebende et unus de canonicis dicti monasterii qui seruiebat in dicta capella percipiebat distributiones cothidianas prout supra dixit ipse qui loquitur. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, nisi quod credit quod aliqui de canonicis dicte capelle jurauerunt se seruaturos dictam compositionem et quod illi qui nunc sunt eam noluerunt jurare, quia ita dici audiuit. Interrogatus a quibus ita dici audiuit et de loco, tempore et hora quibus ita audiuit, dixit quod non recolit.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et cetera, dixit quod a viginti quinque annis nuper preteritis usque ad duos annos nuper elapsos ipse vidit quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* tenuerunt et habuerunt ac etiam in possessione vel quasi juris tenendi fuerunt et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et ipsos abbatem et conuentum et ecclesiam *sancti Stephani*, vidit tenere et habere in dicta capella, ut dictum est, fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, quondam canonicum dicte ecclesie *sancti Stephani*, et fratrem *Odonem Verroquier*, tempore defuncti fratris *Girardi*, quondam abbatis dicti

Art. 2 à 4. monasterii *sancti Stephani*, post ipsum fratrem *Nicolaum* et consequenter per fratrem *Amedeum* de *Escutigneio*, per fratrem *Jacobum* de *Icio* per fratrem *Guillelmum*, dictum *Opitaul*, et tandem per fratrem *Hugonem Milloti*, canonicos dicti monasterii, vidit seruire modo predicto dictos abbatem et conuentum in eadem capella, tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii et tempore Magni *Lamberti*, nunc decani predicte capelle. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia audiuit dici a dicto fratre *Nicolao* quem habuerunt et tenuerunt dicti abbas et conuentus in dicta capella, ut dictum est, quod ipse sedebat et sedere consueuerat in prima sede post decanum ipsius capelle et post dictum decanum primam ebdomadam faciebat in dicta capella et simili modo audiuit dici a fratre *Parisio*, nunc canonico cantore dicti monasterii, quem dicti abbas et conuentus tenuerunt et habuerunt in dicta capella, ut dictum est, quod sedebat et sedere consueuerat in prima sede post decanum ipsius capelle et post ipsum decanum primam ebdomadam faciebat in capella predicta. Requisitus de loco ubi ita audiuit quod in dicto monasterio et de astantibus et hora dixit quod non recolit, de tempore dixit quod bene sunt XL anni elapsi et amplius.

Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia ita audiuit dici a fratre *Regnaudo*, quondam canonico et cellerario dicti monasterii nunc abbate de *Cellis* et a magno *Hugone Sautrelli* aduocato et consiliario dictorum abbatis et conuentus et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit et ita dicitur communiter in dicto monasterio. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et

Art. 5. cetera, dixit quod a viginti quinque annis proximo preteritis usque circa octo annos nuper elapsos abbas et conuentus predicti habuerunt et perceperunt in possessione vel quasi fuerunt per dictum tempus juris percipiendi et huiusmodi panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quod per dictum tempus multotiens et frequenter tempore dicti fratres *Girardi,* quondam abbatis dicti monasterii et tempore fratris *Hugonis,* nunc abbatis monasterii eiusdem, vidit panem et vinum huiusmodi per nuncium dicti abbatis adsportari ad predictum monasterium et de dicto pane comedit et vino bibit ad mensam abbatis dicti monasterii et alibi in dicto monasterio et audiuit dici a dictis fratre *Nicolao,* fratre *Odone* et fratre *Parisio* quod percipiebant dictas distributiones tempore quo quilibet eorum, ut dictum est, seruiebat in dicta capella, sicut unus ex canonicis supradicte capelle et vidit aliquociens, quod dictus fratrer *Nicolaus* tempore quo seruiebat in dicta capella et ecclesia *sancti Stephani* ostendebat ipse qui loquitur pecuniam quam dicebat se habuisse et recepisse in dicta capella per dictis distributionibus et vidit similiter aliquando quod quando dictus fratrer *Nicolaus* infirmabatur vel faciebat sibi fleobotomari dominus *Johannes,* dictus *Noiroz,* vicarius dicte capelle, asportabat eidem fratri *Nicolao* pecuniam sibi tradebat presente ipso qui loquitur, dicendo eidem fratri *Nicolao* ego istam pecuniam recepi in dicta capella pro distributionibus juris. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant et cetera, dixit quod circa festum omnium sanctorum proximo preteritum fuerunt undecim anni elapsi prout sibi videtur quod frater *Hugo,* nunc abbas dicti monasterii, fuit receptus in abbatem eiusdem monasterii et infra sequens biennium vel parum post ipse audiuit dici quod decanus

Art. 6, 7. et capitulum predicti interposuerant quamdam appellationem ad sedem apostolicam ab audientia predicti ducis contra dictos abbatem et conuentum super qua appellatione agi dicitur inter dictas partes et ante tempus dicte appellationis non erat aliqua dissentio inter partes predictas super perceptione grossorum fructuum unius prebende qua percipere consueuerant dicti abbatis et conuentus in bursa communi dictorum decani et capituli nec super perceptione dictarum distributionum et panis et vini. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* erant et cetera, dixit quod post appellationem predictam ipse vidit asportari ad dictum monasterium panem et vinum quos panem et vinum percipere consueuerant in dicta capella et vidit similiter quod frater *Odo Verroquier*, canonicus dicti monasterii, seruiebat in ipsa capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* nec conquerebatur super perceptione distributionum predictarum quia soluebantur et prout firmiter credit quia ipsum scit talem quod nisi sibi soluerentur tunc clamore super hoc faceret et credit similiter quod contenta in dicto articulo sunt vera quia parvum post dictam appellationem ipse audiuit dici quod super predicta appellatione dominus papa dederat predictis partibus auditorem dominum *B*... decanum pictanensem et nunc episcopum Eduensum. Item requisitus super septimo articulo qui sic incipit. Item quod post appellationem et lite mota et pendente et cetera, dixit per juramentum suum quod bene sunt octo anni elapsi et amplius quod abbas et conuentus predicti miserunt procuratores ad curiam romanam occasione appellationis predicte contra dictos decanum et capitulum et post modum audiuit dici quod lis pendebat inter dictas partes coram dicto domino auditore super dicta appellatione et obseruatione dicte compositionis et tunc et etiam postea frater *Odo*, dictus

Art. 8. *Verroquier*, canonicus ipsius qui loquitur seruiebat in dicta capella pro predicta ecclesia *sancti Stephani* et percipiebat prout pluries dixit ipsi qui loquitur distributiones cothidianas in eadem capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et tunc et etiam post ipse qui loquitur vidit et videbat deferri et asportari in tempore aduentus domini et quadragesime ad predictum monasterium *sancti Stephani* fere qualibet die per aliquem de famulis abbatis dicti monasterii panem et vinum predictos quem panem et quod vinum dicti abbas et conuentus percipiebant et percipere consueuerant in cellerario dicte capelle, sicut unus ex canonicis dicte capelle et postea ipse audiuit dici a fratre *Guillelmo Lopitaul*, canonico *sancti Stephani* predicti, qui missus fuerat ab abbate dicti monasterii ad seruiendum in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et seruiebat et seruire paratus erat, more solito in dicta capella quod nihil distribuebatur eidem, et simili modo hoc audiuit dici a fratre *Hugone*, dicto *Millot*, canonico dicti monasterii misso, ut dictum est, ad seruiendum in dicta capella sed dicte distributiones denegabantur eisdem a dictis decano et capitulo, ut dicebant, et bene apparet ipsi qui loquitur quod dicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle denegauerunt et recusauerunt respondere predictis abbati et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* de distributionibus cothidianis pane et vino et grossis fructibus dicte prebende irrationabiliter et injuste quia istud faciendo veniunt contra dictam compositionem et perturbant ut dicit possessionem dictorum religiosorum in qua fuerunt de premissis. Item requisitus super octauo articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod dictus articulus verus est, causam scientie reddens, quia dicti decanus et capitulum prout sibi videtur non potuerunt nec debuerunt predicta facere sicut fecerunt propria voluntate et quia

Art. 9 à 12. hoc fecerunt contra dictam compositionem et quia recusauerunt et subtraxerunt predicta dictis abbati et conuentui licet seruirent et parati essent et adhuc sint seruire in dicta capella prout est consuetum. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente, decanus et capitulum et canonici dicte capelle eiecerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia audiuit dici a quibusdam de quorum nominibus non recolit quod decanus et canonici dicte capelle faciebant diuinum officium in dicta capella januis clausis ne canonicus *sancti Stephani* qui seruire consueuerat in dicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* dictam capellam intraret, et ne in dicta sede sederet seu primam ebdomadam post ipsum decanum faceret. Item requisitus super decimo et undecimo articulis, dixit quod credit dictos articulos veros esse, quia nescit aliquam injustam causam quam dicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle possint pretendere quare premissa fecerint et quia credit quod bene sunt quatuor anni elapsi et amplius et spoliauerunt ipsos abbatem et conuentum juribus supradictis que extimantur et dicuntur valere communi extimatione anno quolibet viginti libras turonenses et amplius. Item requisitus super duodecimo et ultimo articulo, dixit quod de contentis in primo, secundo, tertio et quarto articulis libelli attemptatorum predictis est et diu fuit vox communis et fama in predictis ecclesiis *sancti Stephani* et capelle et apud *Diuionem* in pluribus locis. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ita dicitur vulgariter et communiter in locis predictis et quod ita invenitur per majorem partem hominum de *Diuione* quod ecclesia *sancti Stephani* consueuit habere unam prebendam in dicta capella unam prebendam si contigeret ipsos homines interrogari super hoc, dixit etiam ipse qui loquitur quod est vox communis et fama publica in dicto monasterio *sancti Stephani* quod

abbas et conuentus predicti possidebant jura predicta, videlicet quod percipiebant grossos fructus unius prebende in bursa communi dictorum decani et capituli, panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella sicut unus de canonicis dicte capelle et in possessione vel quasi jurium predictorum erant tempore appellationis emisse ex parte decani et capituli predicte capelle vel procuratoris eorum ratione cuius appellationis agitur inter ipsos et quod lite pendente in curia romana sub obseruatione dicte compositionis et aliis de quibus agitur supradicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle denegauerunt et recusauerunt respondere dictis et conuentui et ecclesie *sancti Stephani* de dictis distributionibus cothidianis et pane et vino et de grossis fructibus dicte prebende irrationabiliter et injuste et predicta subtraxerunt dictis abbati et conuentui sic eosdem suis predictis juribus spoliando, et ejecerunt et expulserunt canonicum quem ibi habebant et tenebant dicti abbas et conuentus de dicta sede nec permiserunt eum in dicta sede sedere, nec etiam capellam intrare nec primam ebdomadam post ipsum decanum facere irrationabiliter et injuste in preinditium dictorum religiosorum et quod propter predicta et occasione predictorum, dicti abbas et conuentus dampnificati fuerint in quatuor viginti libras paruorum turonensium. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita dicitur in dicto monasterio communiter et credit quod de premissis similiter sit communis vox et fama in predicta capella, nec aliud scit de premissis articulis. Interrogatus quid est dicere vox communis et fama publica, dixit quod illud quod a multis dicitur. Interrogatus unde primo habuit originem ista vox et fama, dixit quod ab impedimento quod dicti decanus et capitulum et canonici dicte capelle fecerunt dictis abbati et conuentui super premissis, et etiam habuit originem ut dicit a compositione et confirmatione predictis.

Interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod ipse fuit ortus ex nobili genere et est canonicus regularis dicte capelle *sancti Stephani*, et de nono sibi collatus est prioratus de *Granceyo* lingonensis diocesis, a fratre *Hugone* nunc abbate dicti monasterii cuius procuratorus redditus valere possunt annuatim sexaginta libras turonenses et amplius. Item interrogatus quam partem vellet obtinere in dicta causa, dixit quod illam que haberet jus. Item interrogatus si unquam fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, dixit quod non. Item interrogatus utrum fuerit instructus, ut ita deponeret et si predicta deponat, rogatus vel doctus aut prece seu precibus et cetera, dixit quod non.

Tertius decimus testis.

Art. 2. Dominus *Angeninus* de *Diuione*, presbyter rector ecclesie de *Eschiveyo* prope *Diuionem* lingonensis diocesis, testis productus ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit quod a quinquaginta quinque annis citra predicta ecclesia *sancti Medardi* cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* de *Diuione*. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit et audiuit a dicto tempore citra et vidit communiter quod dicta ecclesia consueuit gubernari per canonicos dicti monasterii quos abbas pro tempore dicti monasterii qui dicitur curam dicte ecclesie habere et esse curatus eiusdem vicarios suos ad hoc instituere loco sui consueuit dicens quod omnes morantes in castro de *Diuione* siue sint clerici, siue laici, exceptis decano, canonicis, capellanis et clericis dicte capelle, sunt et esse con-

Art. 6 à 13, 32, 35 à 37. sueuerunt parochiani dicte ecclesie et quod istud est certum et notorium apud *Diuionem*. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono, decimo, undecimo et duodecimo articulis sibi singulariter expositis, dixit se nihil scire, hoc excepto quod a dicto tempore citra dictum fuit et adhuc dicitur communiter apud *Diuionem*, et apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod dicta ecclesia *sancti Medardi* est parochialis et fuit per tantum tempus cuius principii memoria non existit, et per dictum tempus cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* de *Diuione* et respondit et respondet ecclesie et abbati *sancti Stephani* predicti. Item requisitus super tertio decimo et tricesimo secundo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti non habuerunt et cetera, dixit quod a quinquaginta annis citra ipse audiuit dici pluries in dicta capella et extra a pluribus de quorum nominibus non recolit quod abbas et conuentus predicti habuerunt et ceperunt in dicta capella unam prebendam sicut unus canonicus capelle predicte. Item requisitus super tricesimo sexto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod anno domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, magister dominicus, dictus *Aucuroise*, quondam canonicus dicte capelle, fuit mortuus, et in illo anno, videlicet ante mortem dicti dominici, ipse qui loquitur fuit receptus in clericum chori dicte capelle et inter fuit in dicta capella quando fiebat officium ibidem pro dicto magno dominico defuncto, et cantabat alta voce cum ceteris clericis et capellanis dicti chori, et postea per duos vel per tres annos sequentes ipse vidit

Art. 38. quod frater *Stephanus*, dictus *le François,* quondam et tunc canonicus dicte ecclesie *sancti Stephani*, seruiebat in eadem capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani,* et de pecunia que in singulis annis canonicis dicte capelle solui consueuit pro anniuersariis tantum percipiebat et habebat idem frater *Stephanus* deseruiens pro dicta ecclesia *sancti Stephani* quantum unus de canonicis ipsius capelle et ita vidit pluries et frequenter fieri in dicta capella et dictam pecuniam solui modo predicto eidem fratri *Stephano* in choro predicte capelle palam et publice et recipi ab eodem per plures vices ab illo qui dictam pecuniam distribuere consueuerat et consequenter post dictum fratrem *Stephanum* vidit quod frater *Parisius,* cantor nunc dicti monasterii *sancti Stephani*, seruiuit in eadem capella pro predicta ecclesia *sancti Stehani* et de dicta pecunia percepit et percipiebat modo predicto et sibi soluebatur et deinde similiter quod frater *Nicolaus*, dictus *Laudate*, quondam canonicus dicti monasterii, seruiuit simili modo in dicta capella et de dicta pecunia percepit et percipiebat tantum quantum unus ex canonicis dicte capelle et ultimo ita vidit circa quatuor annos nuper preteritos quod frater *Odo*, dictus *Verroquier,* canonicus *sancti Stephani,* seruiuit et seruiebat in predicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* et de dicta pecunia percepit et percipiebat modo quo supra tantum quantum unus ex canonicis dicte capelle dicens ipse qui loquitur quod istud est manifestum et notorium in predicta capella. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a tempore predicto quo primo vidit dictum fratrem *Stephanum* seruire in dicta capella pro predicta ecclesia *sancti Stephani* usque ad duos annos vel circa proximo preteritos, abbas et conuentus dicti monasterii *sancti Stephani* seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut et unus

Art. 39 à 51. ex canonicis dicte capelle. Requisitus quomodo scit, dixit quia ita vidit per dictum tempus frequenter et multis vicibus. Interrogatus quando primo predicta vidit, dixit quod tempore quo dictus frater *Stephanus* seruiebat in dicta capella primo ita vidit, et secundo quando dictus frater *Parisius* seruiebat in eadem capella et deinde tempore quo predicti fratres *Nicolaus* et *Odo* seruiebant in eadem capella. Interrogatus quis erat tunc abbas *sancti Stephani* predicti et quis decanus dicte capelle quando primo predicta ita vidit, dixit quod primo ita vidit tempore defuncti fratris *Amedei*, quondam abbatis dicti monasterii et tempore defuncti dicti *Marcheant*, quondam decani dicte capelle, et post modum ita vidit tempore et per tempus defuncti fratris *Girardi*, quondam abbatis, et tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, et etiam tempore defuncti domini *Petri*, dicti de *Barro*, quondam decani, et tempore magni *Lamberti*, nunc decani predicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* predicti prebendam unam perceperunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur quod abbas et conuentus predicti perceperunt et percipere consueuerunt in dicta capella unam prebendam et nisi sicut predixit super tricesimo septimo articulo, et quod licet audiuerit dici quod dictus abbas et conuentus perceperunt unam prebendam in dicta capella tamen non recolit a quibus ita audiuit.

Item requisitus super quadragesimo, quadragesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur quod canonici dicte capelle redisentes habent prebendas assignatas in certo loco et quod quibus eorum canonicorum habent prebendam distinctam. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella

Art. 51, 60, 61. ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a quibusdam de quorum nominibus non recolit a quadraginta annis citra pluries quod decanus dicte capelle habet curam animarum ducis et ducisse *Burgundie*. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre et cetera, dixit quod a triginta annis citra ipse vidit pluries et per plures annos censuarios seu nuncios ecclesie *sancti Stephani* euntes per parochias ecclesiarum *beate Marie*, *sancti Medardi* et *sancti Nicolai* diuionensis seu per partem dictarum parochiarum qui petebant et recipiebant censum nomine dicte ecclesie *sancti Stephani* diuionensis predicti ab illis qui habebant domos in dictis parochiis et vidit aliquociens quod mater ipsius qui loquitur soluit dictis consuariis in pecunia censum pro quadam domo quam tenebat et habebat *sancti Nicolai* predicti in vico qui dicitur, vicus es *Channieres*, et quod etiam ipse qui loquitur consueuit soluere quolibet anno censum dictis consuariis nomine dicte ecclesie *sancti Stephani* pro quadam domo quam habet et tenet in dicta parochia *sancti Nicolai* predicti et generaliter ita consueuerunt ire dicti censuarii per predictas parochias quolibet anno sed non vidit solui censum ab illis de capella nec plus scit de dicto articulo ut dicit. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod nescit utrum sit parochialis. Interrogatus quomodo scit, dixit quod in dicta ecclesia sunt fontes in quibus baptisari consueuerunt baptisari infantes qui nascuntur in parochiatu *sancti Medardi* per vicarium ecclesie *sancti Medardi* predicti vel per alium coadjutorem suum et plures infantes vidit ibidem baptisari quadraginta annis et amplius elapsis

Art. 62 à 69, 76 à 93. et a quadraginta annis citra. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit se nihil scire nisi illud quod supra proximo dixit super sexagesimo articulo et quod bene sunt quadraginta anni elapsi et amplius quod dictum censum vidit solvi a predicta matre sua. Item requisitus super sexagesimo quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, licet predicta articuli dicto testi qui loquitur singulariter et diligenter fuerunt expositi prout jacent.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit ab anno domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, quo anno, magni *Dominicus Aucurroise*, quondam canonicus dicte capelle, mortuus fuit usque circa quatuor annos proximo preteritos et primo vidit quod tempore predicto tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem, videlicet fratrem *Stephanum*, dictum *le François,* canonicum *sancti Stephani* predicti, ad seruiendum et faciendum diuinum officium, sicut unus ex canonicis dicte capelle et vidit pluries ipsum fratrem *Stephanum* cantare in dicta capella et celebrare magnam missam frequenter et facere diuinum officium sicut unus ex canonicis dicte capelle.

Art. 2. Interrogatus quis erat tunc abbas *sancti Stephani* predicti et quis decanus dicte capelle, dixit quod frater *Petrus*, dictus *Barbote*, defunctus, tunc erat abbas dicti monasterii et defunctus dictus *Marcheant* de *Auxona* erat tunc decanus predicte capelle et post dictum fratrem et tenuerunt et habuerunt modo predicto in dicta capella fratrem *Parisium*, nunc cantorem et canonicum dicti monasterii, et similiter post ipsum fratrem *Parisium* tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus in ipsa capella ad seruiendum et faciendum diuinum officium in ea ut dictum est defunctum fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, tunc canonicum dicti monasterii, tempore fratris *Amedei*, quondam abbatis dicti monasterii, et post ipsum fratrem *Nicolaum* tenuerunt modo simili in dicta capella fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii, tempore fratris *Girardi* defuncti quondam abbatis dicti monasterii, et tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, et sic etiam vidit tempore defunctorum *Petri* de *Barro* et domini *Artaudi*, quondam decanorum dicte capelle, et etiam tempore domini *Lamberti*, nunc decani eiusdem capelle, et vidit dictos fratres *Stephanum*, *Parisium*, *Nicolaum* et *Odonem* seruire et facere diuinum officium in dicta capella, ut dictum est, nemine contradicente, et ita vidit de dicto fratre *Odone* adhuc non sunt sex anni elapsi. Interrogatus qui erant presentes quando ita vidit, dixit quod pluries ita vidit, presente decano dicte capelle qui erat pro tempore et fuit, et presentibus pluribus canonicis, capellanis, presbyteris et clericis chori dicte capelle. Interrogatus de hora, dixit quod omnis hora, qua consueuit fieri diuinum officium in dicta capella. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et tenuerunt ut dictum est et cetera, dixit quod dictus canonicus quem ibidem tenuerunt et habuerunt ut dictum est faciebat et facere consueuerat primam ebdomadam

Art. 3, 4. post decanum dicte capelle sed non recolit si sedebat vel sedere consueuerat in prima sede post ipsum decanum, sed tamen sedebat deuersus illam partem chori dicte capelle in qua ipse decanus sedere consueuerat, dicens quod notorium est et manifestum inter illos de dicta capella quod idem canonicus quem ibidem tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus faciebat et facere consueuerat primam ebdomadam post ipsum decanum. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et diuturnis temporibus et cetera, dixit quod predicto tempore quo primo vidit supradictum fratrem *Stephanum* seruire et facere diuinum officium in predicta capella pro dicta ecclesia *sancti Stephani* sicut supra deposuit, idem frater *Stephanus* habebat et percipiebat distributiones cothidianas in predicta capella, sicut unus ex canonicis predicte capelle et soluebantur eidem in pleno choro in presentia decani et canonicorum ac capellanorum et clericorum dicte capelle et consimili modo vidit de fratribus *Parisio, Nicolao* et *Odone* predictis, cui fratri *Odoni* vidit solui dictas distributiones in choro predicte capelle circa quatuor annos nuper preteritos per plures vices, sicut unus ex canonicis predicte capelle, dicens etiam ipse qui loquitur quod predicti abbas et conuentus perceperunt et habuerunt panem et vinum in dicta capella. Interrogatus quomodo scit, dixit quod bene sunt triginta octo anni elapsi quod decanus *Jacobus*, dictus *Bigaux*, erat cellerarius dicte capelle, et eo tempore ipse qui loquitur aliquociens distribuebat panem et vinum pro dicto *Jacobo*, canonicis dicte capelle, et tantum de pane et de vino huiusmodi distribuebat nuncio dictorum abbatis et conuentus quantum uni ex nunciis canonicorum dicte capelle, et quod notorium est et manifestum in dicta

Art. 5 à 12. capella quod predicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt modo predicto distributiones cothidianas, et panem et vinum in dicta capella per plures annos sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quociens distribuit panem et vinum nuncio dictorum abbatis et conuentus, dixit quod pluribus vicibus de quorum numero non recolit. Item interrogatus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo, undecimo et duodecimo articulis sibi singulariter expositis, dixit se nihil scire. Item requisitus cuius conditionis sit, dixit quod libere et quod est presbyter et curatus, et de choro predicte capelle. Item interrogatus quam partem vellet obtinere in causa utrum abbatem et conuentum predictos aut decanum et capitulum dicte capelle, dixit quod vellet obtinere illam partem que melius jus habet. Item interrogatus utrum fuerit doctus et utrum prece vel precio et cetera, dixit quod non.

Quartus decimus testis.

Art. 2. Magister Bonus amicus dictus *Petiz Bourges* de *Diuion* clericus quondam chori predicte capelle, testis productus ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* cum suo parochiatu est et fuit et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia dicitur communiter apud *Diuionem*, nec unquam audiuit dici contrarium quod quinque ecclesie parochiales site apud *Diuionem*, videlicet ecclesie *sancti Medardi, sencte Marie, sancti Petri, sancti Nicolai* et *sancti Michaelis* sunt et fuerunt pleno jure monasterii *sancti Setphani* de *Diuione* et pertinent ad abbatem et conuentum dicti monasterii, et quod ipse qui loquitur

Art. 6, 9 à 12. vidit a triginta annis citra per plura tempora quod canonici predicti monasterii *sancti Stephani* seruiunt et faciunt diuinum officium in predictis ecclesiis et facere consueuerunt et impenderunt et ministrauerunt ecclesiastica sacramenta parochianis dictarum ecclesiarum et multociens vidit canonicos dicti monasterii a dicto tempore citra euntes per parochiatus dictarum ecclesiarum et portantes corpus christi cum venerentia ad insistandum infirmos dictorum parochiatuum. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera. Item et super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio et cetera, dixit quod bene sunt quindecim anni et amplius elapsi quod ipse vidit quemdam compositionem olim factam inter partes predictas que sigillata erat sigillis in qua continebatur inter cetera quod *Odo* dux *Burgundie* ipsam compositionem laudauit et ad petitionem utriusque partis manutenere promisit et contineri vidit in eadem compositione testis qui loquitur quod dissensio que fuerat inter dictas partes integritate unius prebende dicte capelle erat pacificata per dictam compositionem. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit quod credit quod dicta compositio obseruata fuit inter ipsas partes quod adhuc non sunt viginti quinque anni elapsi quod nulla dissensio erat super dicta compositione inter ipsas partes quam sciret ipse qui loquitur. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod a predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani* videlicet et capelle quod ecclesia *sancti Medardi* est ecclesia parochialis et pertinet pleno jure ad predictam ecclesiam *sancti Stephani* et quod dicta compositio fuit

Art. 13. inter ipsas partes quia ita dicitur communiter apud dictas ecclesias. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud est dicere publica vox et fama quod a tota vicinia alicuius loci dicitur, vel a majori parte ipsius vicinie. Interrogatus unde habuit originem ista fama, dixit quod nescit. Item requisitus super tertiodecimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia dicte partes et cetera, dixit quod a viginti annis citra per aliqua tempora, ipse qui loquitur fuit procurator dictorum decani et capituli, et comparuit pluries nomine procuratorio eorum coram dicto domino duce et coram domino *Johanne* de *Sinemuro*, et domino *Richardo* bailliuo de *Diuione*, quondam commissariis dicti domini ducis, contra abbatem et conuentum dicti monasterii qui agebant aliquocies coram dicto duce et quandoque coram dictis commissariis, contra ipsos decanum et capitulum et petebant quod dicta compositio seruaretur a dictis decano et capitulo, et quod dictus dux, aut dicti commissarii ipsos decanum et capitulum ad hoc compellerent quem ducem pars dictorum abbatis et conuentus dicebat esse conseruatorem dicte compositionis, et qui dux se gerebat pro conseruatore eiusdem, dicens ipse qui loquitur quod procurator dictorum abbatis et conuentus sponte et liberaliter et ex vi dicte compositionis coram dicto duce aliquocies et quandoque coram dictis commissariis comparuit et voluntarie litigauit prout videbatur ipse qui loquitur, et credit quod dicti decanus et capitulum aut procurator eorum nec sponte nec liberaliter seu voluntarie comparuerant nec litigauerant coram dictis duce et commissariis sed solum propter hoc quia tenebant sibi, quod si premissa facere recusarent, quod ob hoc radiarentur ex parte dicti ducis et hac de causa credit quod comparebant et litigabant coram ipsis et recolit ipse qui loquitur quod aliqua acta seu assignationes dierum coram dictis duce et eius commissariis facta fuerunt de consensu

Art. 35 à 37. procuratorum partium predictarum et ita vidit quod litigatum fuit inter procuratores partium occasione dicte compositionis, coram dictis duce et commissariis tempore defuncti domini *Artaudi*, quondam decani dicte capelle, et tempore defuncti fratris *Girardi*, quondam abbatis dicti monasterii, et etiam tempore fratris *Hugonis* nunc abbatis eiusdem monasterii. Interrogatus de loco ubi ita vidit, dixit quod apud *Belnam*, apud *Sedelocum* et apud *Diuionem*. Interrogatus de anno, mense, septimana et die seu diebus, dixit quod non recolit. Requisitus de astantibus, dixit quod aliquando presens erat dictus *Artaudus*, decanus, et dictus abbas *Girardus*, et quandoque presens fuit deinde dictus frater *Hugo*, nunc abbas dicti monasterii et plures alii et dictus *Hugo* de *Castris*, miles dicti ducis, dicens etiam ipse qui loquitur quod ipse vidit dictas partes litigare pluries, coram dicto duce et eius commissariis super quibusdam spoliationibus et super pluribus aliis que tangebant dictam compositionem bene sunt decem anni et amplius elapsi. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod bene sunt viginti anni et amplius elapsi, et etiam post ea pluries quod audiuit dici a multis de quorum nominibus non recolit quod ecclesia *sancti Stephani* predicti percipiebat in dicta capella grossos fructus unius prebende de bonis dicte capelle, et vidit quod predicta ecclesia *sancti Stephani* predicti seruiebat unus canonicus regularis dicte ecclesie in predicta capella et in pluries vidit solui distributiones cothidianas in dicta capella, sicut uni ex canonicis predicte capelle. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod ipse vidit pluries, quod

Art. 38 à 45. unus de canonicis ecclesie *sancti Stephani* seruiens in dicta capella pro eadem ecclesia tantum percipiebat de pecunia que solvi consueuit pro anniuersariis, quantum unus ex canonicis dicte capelle et sibi soluebatur dicta pecunia publice in choro dicte capelle. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a viginti quinque annis nuper elapsis, usque circa quatuor annos proximo preteritos ipse vidit pluries quod unus de canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* seruiebat in dicta capella et faciebat diuinum officium, ratione prebende quam dicti abbas et conuentus dicuntur habere et percipere in eadem capella. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est et cetera, dixit se nihil scire, sed bene credit quod fama fuit et est in dicta capella et in predicto monasterio quod unus ex canonicis dicte ecclesie *sancti Stephani* seruiens in dicta capella pro eadem ecclesia tantum percipiebat de pecunia que solui consueuit pro anniuersariis quantum unus de canonicis dicte capelle et quod abbas et conuentus predicti seruierunt in dicta capella per aliqua tempora per unum de canonicis suis.

Item requisitus super quadragesimo primo et secundo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisierunt et cetera, dixit quod credīt dictum verum esse, quia videtur ipse qui loquitur quod procurator dictorum abbatis et conuentus ita proponebat, quando litigatum fuit inter dictas partes coram dicto domino duce et eius commissariis. Item requisitus super quadragesimo quarto articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo quinto

Art. 46 à 51, 60 à 63. articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit se nihil scire, sed credit quod canonici dicte capelle morantes in domibus circum circa dictam capellam et alibi sint parochiani decani dicte capelle, et quod idem decanus sit in possessione administrandi eisdem canonicis ecclesiastica sacramenta. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter, fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod vidit contineri in quadam compositione seu priuilegio quod dictus decanus habet curam animarum ducis et ducisse. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, vinee, terre et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Stephani* est et cetera, dixit in ipsa ecclesia sunt fontes ad baptisandum in quibus consuetum est baptisari infantes qui nascuntur in parochia *sancti Medardi* diuionensis, sed nescit utrum sit parochialis nisi propter hoc quod ecclesie parochiales *beate Marie, sancti Medardi, sancti Petri, sancti Michaelis* et *sancti Nicolai* diuionensis pertinent ad dictam ecclesiam *sancti Stephani.* Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quantum ad parochiatus ecclesiarum predictarum, quia ita dicitur apud *Diuionem*, hoc excepto, quod de vineis predicte capelle non solvitur decima eisdem abbati et conuentui prout credit. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit quod ita

Art. 64 à 69, 76, 77. credit, exceptis domibus, terris, vineis et possessionibus dicte capelle. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, exceptis vineis dicte capelle de quibus non credit quod soluatur decima dictis abbati et conuentui, dicens ipse qui loquitur quod ipse habet aliquas vineas in parochiatu ecclesie *sancti Petri* diuionensis pertinentis ad dictum monasterium de quibus soluere consueuit decimam quolibet anno decimatoribus predicti monasterii *sancti Stephani*. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum esse verum hoc excepto quod supra excepit ipse qui loquitur quia non audiuit nec sciuit quod aliquis impediat dictos abbatem et conuentum super ipsis decimis et censu, nisi sint illi de dicta capella qui sunt exempti. Item requisitus super sexagesimo sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama est et fuit apud *Diuionem* quod predicta ecclesia *sancti Stephani* est et fuit ecclesia baptismalis ab antiquo et quod prefate parochiales ecclesie pertinent pleno jure ad ipsam ecclesiam *sancti Stephani*, et quod abbas et conuentus perceperunt et receperunt modo predicto censum et decimas infra parochias ecclesiarum predictarum, hoc excepto quod supradictum est, causam scientie reddens quia istud est notorium et manifestum apud *Diuionem*. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, et unde habuit originem, dixit ut supra. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum per

Art. 78 à 93. dictum tempus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et nono articulis, dixit se nihil scire, nisi quod vidit procuratores dictarum partium comparere et litigare ratione dicte compositionis et contentorum in ea, coram domino *Roberto*, duce *Burgundie*, et eius commissariis prout supradictum est. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, nisi quod bene sunt duodecim anni et amplius elapsi quod ipse audiuit requiri ex parte dictorum abbatis et conuentus defunctum magistrum *Johannem* de *Mormax*, quondam canonicum dicte capelle, et quosdam alios canonicos eiusdem loci quorum nomina ignorat ad presens quod facerent et jurarent fidelitatem dicte ecclesie *sancti Stephani*, sed non recolit, utrum abbas dicti monasterii vel procurator suus dictam requestam fecit, nec de astantibus. Interrogatus de loco, dixit quod apud *Diuionem*. Interrogatus de mense, die et septimana, dixit quod non recolit.

Art. 1 à 4. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod a viginti quinque annis proximo preteritis citra ipse vidit per plures annos et multis vicibus quod unus canonicus regularis dicte ecclesie *sancti Stephani* seruiebat et faciebat diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, nec aliud scit de dicto articulo ut dicit. Item requisitus super secundo, tertio et quarto articulis, dixit se nihil scire, nisi quod vidit pluries a viginti quinque annis citra quod alter nunciorum seu famulorum dicti monasterii *sancti Stephani* portabat ad dictum monasterium

Art. 5 à 12 panem et vinum quem panem et quod vinum cellerarius dicte capelle dicebatur distribuisse eidem nomine dicte ecclesie *sancti Stephani* sicut uni ex canonicis dicte capelle in cellario communi dicte capelle, et vidit similiter quod unus ex canonicis *sancti Stephani* predicti qui seruiebat in dicta capella ut dictum est percipiebat distributiones cothidianas sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo, undecimo et duodecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus cuius conditionis sit, dixit quod libere, et quod est clericus, et habet uxorem. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod ipse et uxor sua bene habent in bonis valorem quingentarum librarum turonensium. Item interrogatus si unquam fuerit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, dixit quod non. Item interrogatus quam partem vellet obtinere, dixit quod illam que jus haberet. Item interrogatus utrum fuerit doctus vel instructus et cetera, utrum prece vel precio et cetera, dixit quod non.

Quintus decimus testis.

Art. 2. Magister *Johannes* dictus *Bigoz* de *Diuione*, clericus, testis productus ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu est et fuit pleno jure et cetera, dixit dictum articulum verum esse. Interrogatus quomodo scit, dixit quod est parochiatus et fuit toto tempore vite sue parochiatus dicte ecclesie, et ita vidit a triginta annis et amplius citra, et quod unus de canonicis dicti monasterii consueuit regere dictam ecclesiam et ministrare vel facere ministrare per se vel

Art. 6. per alium sacramenta ecclesiastica parochianis dicte capelle *sancti Medardi* et adhuc ita ministrat, nec sciuit seu audiuit fieri vel dici contrarium nisi quod illi de capella predicta videlicet canonici, capellam presbyteri et clerici eiusdem capelle dicunt se esse exemptos et licet moram trahunt in castro diuionensi quod est in parochiatu dicte ecclesie *sancti Stephani*, tamen non se gerunt pro parochianis dicte ecclesie. Interrogatus quociens ita vidit, dixit quod pluries et frequenter ita vidit et fuit in ipsa ecclesia et audiuit in ea diuinum officium tanquam parochianus eiusdem et ita vidit tempore fratris *Amedei* et fratris *Girardi*, defunctorum quondam abbatum dicti monasterii, et tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus quadraginta seu triginta annorum est longum. Interrogatus de limitibus dicte ecclesie *sancti Medardi* et quantum se extendunt limites predicti, dixit quod totum castrum de *Diuione* prout se extendit a porta que dicitur porta *Leonis* usque ad portellam que est versus fratres minores diuionensis et a dicta portella usque ad domum que dicitur domus *Murie Anaul* et a dicta domo usque ad predictum monasterium *sancti Stephani*, totum est de parochia et in parochiatu *sancti Medardi* predicti exceptis predictis personis dicte capelle qui se non gerunt pro parochianis dicte ecclesie *sancti Medardi* cetere vero persone moram trahentes in dicto castro sunt parochiani et se gerunt pro parochianis dicte ecclesie *sancti Medardi* et consueuerunt ire ad dictam ecclesiam *sancti Medardi* quando diuinum officium celebratur ibidem, tanquam ad parochialem suam ecclesiam. Interrogatus quis ordinauit dictos limites, dixit quod nescit. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit quod toto tempore vite sue dictum fuit et dicitur communiter apud *Diuio-*

Art. 9 à 13. *nem,* quod totum castrum de *Diuione* in quo dicta capella constructa et edificata fuit, excepta quadam parte dicte capelle que est extra muros dicti castri fuit et est in parochiatu et de parochiatu predicte ecclesie *sancti Medardi* sicut supra dixit ipse qui loquitur. Item requisitus super nono et decimo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a quibusdam canonicis dicte capelle videlicet dominis *Johanne* de *Arcu*, *Simone* de *Auxona* et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit quo quedam compositio scit fuerat inter dictas partes que fuerat confirmata per sedem apostolicam que loquebatur et vineis de generali et de propriis vineis canonicorum dicte capelle. Item requisitus super undecimo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud *Diuionem* et apud dictas ecclesias, quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu est et fuit pleno jure monasterii *sancti Stephani* diuionensis et immediate respondet et respondit per longum tempus in spiritualibus et temporalibus abbati et monasterio *sancti Stephani* diuionensis et ita vidit ipse qui loquitur a tempore triginta annorum citra et amplius, exceptis personis predictis dicte capelle, et quod predicta capella fuit edificata et constructa in parochiatu et intra parochiatum ecclesie *sancti Medardi* predicte ad ecclesiam *sancti Stephani* diuionensis ut dictum est pertinentis sicut supra dixit ipse qui loquitur et prout dicitur communiter apud dictum *Diuionem*. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod dicitur a multis. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi vox et fama, dixit quod ab illis qui ita viderunt et audierunt et post modum retulerunt. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia et cetera, dixit se nihil scire

Art. 32, 35 à 37. nisi quod pluries vidit procuratores dictarum partium litigare coram domino *Roberto* duce *Burgundie* et coram dominis, *Johanne* de *Sinemuro* et *Richardo* de *Montemoreto*, bailliuo *Diuionis*, commissariis dicti ducis. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire.

Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod ipse qui loquitur fuit clericus chori dicte capelle per decem et octo annos vel circa, et vidit pluries et frequenter quod unus de canonicis *sancti Stephani* predicti seruiebat et faciebat diuinum officium in dicta capella et percipiebat distributiones cothidianas in eadem sicut unus ex canonicis dicte capelle et audiuit dici a pluribus canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit quod abbas et conuentus predicti habuerunt et perceperunt et habere et percipere consueuerunt unam prebendam integram in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle residens in eadem. Interrogatus de tempore quo primo ita audiuit, dixit quod bene sunt viginti quinque anni elapsi, et postea pluries ita audiuit dici. Interrogatus de loco, dixit quod in castro *Diuionis*, sed non recolit de astantibus. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod tempore quo ipse qui loquitur fuit clericus dicti chori vidit pluries et frequenter quod dictus canonicus *sancti Stephani* qui seruiebat in dicta capella ut dictum est de pecunia quo canonicis dicte capelle solvi consueuit pro anniuersariis tantum percipiebat et habebat quantum unus de canonicis dicte capelle, dicens quod istud est

Art. 38 à 50. notorium et manifestum in dicta capella. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod ipse vidit per dictum tempus quo ipse fuit clericus dicti chori et etiam postea quod abbas et conuentus predicti seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et ita vidit pluries et quasi frequenter bene sunt viginti anni et amplius elapsi et a dicto tempore usque ad quatuor annos nuper elapsos vel circa ita communiter quod unus de canonicis *sancti Stephani* seruiebat in dicta capella sicut unus ex canonicis predicte capelle, dicens quod istud non indiget probatione. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod a tempore quo ipse qui loquitur fuit clericus dicti chori citra ipse audiuit dici communiter et pluries in dictis ecclesiis et alibi quod abbas et conuentus seu ecclesia *sancti Stephani* diuionensis prebendam unam perceperunt et percipere consueuerunt de bonis dicte capelle. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et conuentu et cetera, dixit quod contenta in eodem articulo audiuit dici a dominis *Johanne* de *Arcu* et *Simone* de *Auxona* et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit, a decem annis citra. Interrogatus de loco, dixit quod in castro diuionense sed non recolit in qua parte dicti castri nec de astantibus. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator

Art. 51, 60. quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod totum castrum de *Diuione* prout supradixit super secundo articulo, in quo castro predicta capella sita est, excepta quadam parte ipsius capelle que est extra muros dicti castri, et quicquid est circum circa dictam capellam intra dictum castrum est in parochia et intra fines parochie *sancti Medardi* que est et esse consueuit monasterii *sancti Stephani* diuionensis pleno jure. Interrogatus quomodo scit, dixit ut supra super dicto secundo articulo et quod ita vidit per triginta annos et amplius citra. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus et cetera, dixit quod credit quod domus, terre, vinee et possessiones site in parochiis et intra fines quorum cum que parochiatuum dicti monasterii *sancti Stephani* fuerunt ab antiquo et consueuerunt esse censuales dicte ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani,* sed nescit utrum locus in quo dicta capella sit vel fuit censualis eisdem abbati et conuentui, dicens tamen quod dicitur communiter apud dictum *Diuionem*, quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* predicti et abbas et conuentus et ecclesia *sancti Benigni* diuionensis habent et habere consueuerunt censum ab antiquo pro majori parte in domibus, terris et possessionibus sitis in parochiis de *Diuione,* quolibet dictarum ecclesiarum videlicet in parochiis suis et quod ipse qui loquitur de pluribus suis domibus quas habet in dicto castro anno quolibet soluere consueuit censum mandato dictorum abbatis et conuentus *sancti Stephani* sine contradictione et quod quolibet anno, mandatum dictorum abbatis et conuentus consueuit percipere dictum censum et leuare pro ecclesia *sancti Stephani* parochiatus et quod mandatum predictum vadiare consueuit illos qui nolunt soluere

Art. 61 à 69, 76 à 93. dictum censum vel satisfacere de eodem, dicens ipse qui loquitur quod istud est notorium apud *Diuionem.* Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et cetera, dixit quod a tempore a quo non extat memoria fontes fuerunt et sunt in predicta ecclesia *sancti Stephani* ad baptisandum et in quibus fontibus infantes qui nascuntur in dicto castro consueuerunt generaliter baptisari per illum qui regit dictam ecclesiam *sancti Medardi*, vel per alium loco sui, et ita vidit pluries et frequenter et audiuit dici communiter et pluries vidit baptisari multos infantes in dictis fontibus a triginta annis citra. Item requisitus super sexagesimo secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod de predictis decanus et capitulum subtraxerunt predictis abbati et conuentui et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire, nisi quod credit quod distributiones minute et grossi fructus unius prebende dicte capelle bene possunt valere viginti libras parvorum turonensium. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire et quod nunquam audiuit requiri canonicos dicte capelle, nec decanum eiusdem super contentis in supradictis articulis.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius et etiam a dicto tempore usque ad quatuor annos

Art. 2 à 4. proximo preteritos vel circa quod ipse vidit communiter quod abbas et conuentus predicti tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad faciendum et seruiendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et ita vidit tempore defuncti magistri *Lamberti,* nunc decani capelle eiusdem. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod a viginti annis citra audiuit dici pluries apud *Diuionem* a multis de quorum nominibus non recolit ad presens nec aliud scit de ipso articulo ut dicit. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et diuturnis temporibus perceperunt et cetera, dixit quod tempore dicti fratris *Girardi* quondam abbatis dicti monasterii *sancti Stephani* et etiam tempore fratris *Hugonis,* nunc abbatis monasterii eiusdem, ipse vidit multociens et per plures annos quod tempore aduentus dni, et quadregesime quidam de famulis dicti monasterii *sancti Stephani* predicti portabat panem et vinum, quem panem et quod vinum percepisse dicebatur in cellario dicte capelle ad predictum monasterium et vidit pluries ipsum famulum venientem de dicto cellario et portantem ad ipsum monasterium cum pane et vino huiusmodi quem panem et quod vinum dicti abbatis et conuentus percipere consueuerant in predicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle et vidit similiter dicto tempore pluries et frequenter quando ipse qui loquitur erat in dicta capella pro audienda missa quod unus de canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* qui seruiebat in dicta capella percipiebat distributiones cothidianas et percipere consueuerat in eadem capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus de tempore quando

Art. 5 à 12. primo predicta ita vidit, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius et postea ita vidit pluries adhuc non sunt octo anni elapsi. Interrogatus quod vicibus ita vidit, dixit quod plus quam decem vicibus, sed non recolit de certo numero super hoc. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus possidebant et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod credit quod lite mota et pendente dicti decanus et capitulum subtraxerunt eisdem abbati et conuentui *sancti Stephani* quicquid percipere consueuerant in dicta capella quia dicitur quod moderno tempore nihil percipiunt in eadem capella. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente, et cetera, dixit circa tres annos vel quatuor proximo preteritos quadam die de qua non recolit cum ipse qui loquitur esset in dicta capella ipse vidit quod unus de canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* sedebat in predicta prima sede post dictum decanum ipsius capelle, et quia nolebat sedere in alia sede canonici et capellani dicte capelle qui tunc presentes erant cessabant a diuinis, et alias vidit dicto tempore firmari hostia chori dicte capelle ne dictus canonicus *sancti Stephani* qui seruire consueuerat in dicta capella ut dictum est chori dicte capelle intraret, et ne in dicta sede sederet et in dicto choro celebrabantur diuina a canonicis et capellanis dicte capelle, januis dicti chori clausis. Requisitus de astantibus quando predicta ita vidit, dixit quod presentes fuerunt domini *Aymo* de *Auxona, Guido* de *Edua, Johannes* de *Sarcellis*, canonici dicte capelle et multi alii de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod ipse credit quod de

contentis in primo, tertio, quarto, octauo et nono articulis dicti libelli attemptatorum est et fuit vox communis apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle, quia multi viderunt quod occasione premissorum nulla erat continentia inter dictas partes prout dicit ipse qui loquitur, nec aliud scit. Item interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod ipse est clericus uxoratus et libere conditionis. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod valorem centum librarum turonensium et amplius. Item interrogatus quam partem vellet obtinere in dicta causa, dixit quod vellet quod quelibet pars jus suum haberet et obtineret. Item interrogatus utrum unquam fuit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, dixit quod non. Item interrogatus si predicta deponit rogatus, doctus precibus aut precio, et si fuit instructus ab aliquo ut ita deponeret, dixit per juramentum suum quod non.

Sextus decimus testis.

Art. 2. Magister *Johannes Lothoringus,* tabellio juratus curie lingonensis ad recipiendum generaliter contractus quoslibet testis productus ex parte dictorum religiosorum contra dictos decanum et capitulum, juratus et receptus. Requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi quod ipse moram traxit quasi continue apud *Diuionem* predictum et fuit parochianus predicte ecclesie *sancti Medardi* bene per quindecim annos vel circa, et vidit per dictum tempus quod sacrista dicti monasterii *sancti Stephani* qui fuit pro tempore et erat regebat dictam ecclesiam *sancti Medardi* ministrando parochianis dicte ecclesie sacramenta ecclesiastica, tanquam vicarius

Art. 6, 9, 10. abbatis dicti monasterii pro dicto abbate qui abbas habet curam dicte ecclesie *sancti Medardi,* necnon ecclesiarum *beate Marie, beati Nicolai, beati Michaelis* et *beati Petri Diuionis* sicut communiter dicitur et vidit pluries ipse qui loquitur quod dictus sacrista quem instituit et destituit dictus abbas *sancti Stephani* pro sue libito voluntatis recipiebat et recipit oblationes et alia jura parochialia dicte ecclesie *sancti Medardi.* Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit quod predicta ecclesia *sancti Medardi* ad predictum monasterium *sancti Stephani* pertinet prout supra deposuit, et quod totum castrum *Diuionis* prout muri dicti castri et circuitus eorum designant est in parochiatu predicte ecclesie *sancti Medardi,* in quo quidem castro constructa et edificata fuit capella, excepta quadam parte ipsius capelle que est extra dictos muros que pars est vel in parochiatu *sancti Medardi,* vel in parochiatu ecclesie *beate Marie* diuionensie, que ecclesia *beate Marie* modo simili ad dictum monasterium dignoscitur pertinere, et ita communiter vidit et audiuit dici ipse qui loquitur per dictum castrum est in parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi* et quod a quindecim annis citra manentes in eodem castro, exceptis canonicis, presbyteris, capellanis et clericis dicte capelle se gerebant et adhuc gerunt pro parochianis dicte ecclesie *sancti Medardi* et ibant ad ipsam ecclesiam tanquam ad eorum parochialem ecclesiam. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera. Item et super decimo articulo, qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit quod ipse pluries vidit, legit et transcripsit manu sua predictam compositionem et confirmationem eiusdem a duodecim annis citra pro abbate *sancti Stephani* predicti et ad opus abbatis et conuentus monasterii *sancti Stephani* predicti. Item requisitus super

Art. 11, 12. undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia vidit pluries et frequenter quod tempore aduentus domini et quadragesime dicti abbas et conuentus percipiebant panem et vinum in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et vidit panem et vinum huiusmodi per nuncium dicti monasterii *sancti Stephani* deferri ad dictum monasterium per plures annos, a quindecim annis citra, dicens tamen ipse qui loquitur quod sibi videtur quod bene sunt sex anni elapsi vel circa quod non vidit panem et vinum huiusmodi percipi a dictis religiosis nec deferri ad dictum monasterium, sed ante dictum tempus pluries de dicto pane comedit in dicto monasterio et de vino bibit et pluries audiuit dici a multis quod ecclesia *sancti Stephani* diuionensis seruiens in dicta capella per unum de canonicis suis percipiebat et percipere consueuerat et debebat panem et vinum et distributiones cothidianas ac grossos fructus unius prebende dicte capelle, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle residens ac deseruiens in eadem, et vidit pluries ipse qui loquitur a quindecim annis proximo preteritis usque ad sex annos proximo preteritos vel circa fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii *sancti Stephani*, qui seruiebat pro dicta ecclesia *sancti Stephani* in dicta capella sicut unus ex canonicis eiusdem capelle et post ipsum *Odonem* ita vidit seruire in dicta capella fratrem *Hugonem*, dictum *Millot*, canonici dicti monasterii, et quosdam alios canonicos eiusdem dicti monasterii. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod ita credit quia ita dicitur communiter apud dictas ecclesias et apud *Diuionem*. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur prout credit et intendit. Item interrogatus unde primo originem habuit huiusmodi fama et vox,

Art. 13. 32, 35. dixit quod ipse ignorat. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia dicte partes et cetera, dixit quod vidit plures processus et plurima acta confecta super quibusdam de contentis in compositione predicta coram dicto domine duce, et quod a tresdecim annis proximo preteritis vidit procuratores dictarum partium comparere plures coram magistro *Johanne* de *Lugduno*, domino *Johanne* de *Sinemuro* et domino *Richardo* de *Monte Moreto*, bailliuo dicti domini ducis, commissariis datis ab eodem duce et litigare inter se super quibusdam articulis contentis in dicta compositione et aliis grauaminibus quod illi de *sancto Stephano* dicebant si vi fere illata ab illis de capella et audiuit legi in judicio commissiones dictis commissariis factas a dicto domino duce super premissis in quibus commissionibus continebatur prout sibi videtur quod de consensu procuratorum utriusque partis dictus dux eisdem commissariis vices suas comisat in hac parte. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia vidit percipi et asportari panem et vinum de cellerario capituli dicte capelle, prout supra deposuit ad predictum monasterium *sancti Stephani*, et vidit quod ecclesia *sancti Stephani* seruiebat per unum de canonicis suis in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle et quia audiuit dici pluries a predicto fratre *Odone Verroquier* quem vidit seruire in dicta capella et premissum est et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit, apud *Diuionem* a quindecim annis citra quod ipse frater *Odo* seruiens in dicta capella pro predicta ecclesia *sancti Stephani* percipiebat et habebat distributiones cotidianas

Art. 36 à 48. sicut unus ex canonicis dicte capelle; et quod ecclesia *sancti Stephani* predicti percipiebat panem et vinum et grossos fructus unius prebende in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle residens et seruiens in eadem. Item requisitus super tricesimo sexto et septimo articulis, dixit se nihil scire. Item super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis ex certa scientia et cetera, dixit quod a viginti annis proximo preteritis usque ad quatuor annos nuper elapsos ipse vidit pluries et quasi continue quod abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud predictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et etiam apud *Diuionem* quod abbatis et conuentus predicti habuerunt et perceperunt et habere et percipere consueuerunt in predicta capella unam prebendam integram, sicut unus ex canonicis dicte capelle et ipsam perceperunt et habuerunt in ipsa capella in eodem modo quo canonici residentes in dicta capella perceperunt et habuerunt et quod seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis, sicut unus ex canonicis dicte capelle, causam scientie reddens quia ita dicitur communiter et ita vidit contineri in compositione predicta. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit ut supra. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi fama et vox, dixit quod a dicta compositione et ab illis qui ita viderunt et audiuerunt et quia ita dicitur notorie apud *Diuionem*. Item requisitus super quadragesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire.

Art. 49 à 62. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod dicitur communiter apud *Diuionem* quod quicquid est in castro de *Diuione* circum circa dictam capellam que sita est in dicto castro, excepta quadam parte ut dictum est, est in parochia et intra fines parochie dicte ecclesie *sancti Medardi* dicens quod ita audiuit dici pluries a viginti annis citra et quod istud est notorium apud *Diuionem.*

Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia vidit contineri in confirmatione compositionis dicte quam confirmationem vidit et tenuit bullatam quod decanus dict ecapelle gerit curam animarum ducis et ducisse. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre, vinee et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod ipsa ecclesia est baptismalis et ibidem sunt fontes in quibus multos pueros audiuit et vidit baptisari, et in quibus generaliter infantes quos contingit nasci in parochia dicte ecclesie *sancti Medardi* que continet totum castrum *Diuionis* baptisari consueuerunt per illum qui regit dictam ecclesiam *sancti Medardi* vel per alium pro ipso. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones site intra parochias et cetera, dixit quod dicitur communiter apud *Diuionem* quod terre, vinee et possessiones site intra parochias ecclesiarum *sancti Medardi, beate Marie, beati Nicolai, beati Michaelis* et *beati Petri* de *Diuione* que ecclesie ad

Art. 63, 64. abbatem et conuentum seu ecclesiam *sancti Stephani* predicti pertinere nascuntur sunt de consuetudine antiquissima et consueuerunt esse decimales monasterio, abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbatis et conuentus decimas percipere et habere ; et etiam ipse qui loquitur vidit pluries et plures annos a viginti annis citra quod generaliter quolibet annó parochiani dictarum parochiarum qui habebant vineas intra parochias predictas veniebant et venire consueuerant tempore quadragesime ad dictum monasterium *sancti Stephani* ad concordandum et satisfaciendum decimatoribus deputatis ad leuandum dictas decimas, ab abbate dicti monasterii de decimis in quibus dictis abbati et conuentui et eorum monasterio tenebantur ratione vinearum suarum quas habebant intra fines parochiatuum predictorum, et ita vidit pluries ipse qui loquitur et fuit cum decimatoribus predictis quos vidit recipere pecuniam a multis hominibus de quorum nominibus ad presens non recolit ratione vinearum suarum solentium dictam pecuniam occasione decimatorum in quibus dictis religiosis tenebantur. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et receperunt et cetera, dixit quod anno quolibet dicti abbas et conuentus consueuerunt percipere per illum seu illos quem vel quos ad hoc deputant, census ex domibus existentibus intra dictas parochias et ita vidit pluries a viginti annis citra tempore abbatis *Girardi*, defuncti, et tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, quod defuncti *Laurentius* de *Diuione*, clericus, et *Richardus* eius filius pro dictis abbate et conuentu exigebant et leuabant et exigere et levare consueuerant dictos census per predictas parochias et in eisdem parochiis dicens ipse qui loquitur quod istud communiter et notorie dicitur apud *Diuionem*. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit.

Art. 65 à 69. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod ita dicitur communiter apud *Diuionem* sicut in eodem articulo continetur videlicet de vineis, terris et possessionibus existentibus intra prefatas parochias. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia nunquam vidit nec audiuit quod aliquis super hoc contenderit nisi fuerint illi de capella qui dicunt se esse exemptos. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod licet dicta compositio et cetera. Item et super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod audiuit dici apud *Diuionem* a pluribus quorum nomina ignorat ad presens quod dicti decanus et capitulum recusant et recusauerunt solvere censum et decimam generaliter, nec aliud scit. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis, vineis et cetera, dixit quod bene audiuit dici ab aliquibus ex canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit quod ipsi non tenebantur dictis religiosis ad aliquam decimam et quod dicta compositio non valebat et quod super hoc lis erat in romana curia inter partes predictas. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit quod dicitur communiter apud *Diuionem* quod domus, terre, vinee et possessiones site in parochiis et intra fines parochiatuum predictarum ecclesiarum *sancti Medardi, beate Marie, beati Nicolai, beati Michaelis* et *beati Petri* de *Diuione* pertinentium cum suis parochiatibus pleno jure ad predictum monasterium *sancti Stephani* fuerunt ab antiquo et esse consueuerunt censuales dicte ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* nisi sint excepte jure aliquo speciali et quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit ecclesia baptismalis

Art. 76 à 93. et habet quinque parochias predictas apud *Diuionem* sub se quarum parrochiarum terre, vinee et possessiones site intra easdem sunt de consuetudine antiquissima et consueuerunt esse decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbas et conuentus decimas percipere et habere et quod perceperunt et percipi ac recipi fecerunt censum et decimas intra parochias predictas, et quod decanus et canonici dicte capelle recusauerunt et recusant solvere censum et decimas de possessionibus quas habent intra dictas parochias. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit quod predictus dux se gerebat pro judice et conseruatore dicte compositionis virtute verborum in dicta compositione expressorum. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia ita audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, sed bene audiuit dici quod dicte partes dictam compositionem obseruauerunt per aliqua tempora et jurauerunt se seruaturos eamdem.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod a viginti annis proximo preteritis usque ad quatuor annos vel circa nuper elapsos, et

sequentes immediate, dicti abbas et conuentus et ecclesia sancti *Stephani Diuionensis* tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit quod per dictum tempus pluries ita vidit in dicta capella et presens fuit et audiuit et vidit quod dictus canonicus quem ibi tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus, ut dictum est, pluries celebrabat in dicta capella magnam missam, et quod quando non celebrabat eamdem, ipse stabat vel sedebat in choro dicte capelle et ibidem cantabat et faciebat diuinum officium sicut unus ex canonicis dicte capelle dicens ipse qui loquitur quod istud manifestum est et notorium apud *Diuionem*. Item interrogatus quot vicibus ita vidit et audiuit, dixit quod multis vicibus et plus quam decies. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod ipse vidit aliquando tempore abbatis *Girardi* et tempore fratris *Hugonis*, successoris ipsius *G...*, quod frater *Odo*, dictus *Verroquier*, canonicus dicti monasterii, seruiebat ut dictum est in dicta capella et vidit eum sedere et esse in dicto choro in quadam sede immediate juxta decanum dicte capelle, et quod ipse qui loquitur pluries audiuit dici in dicto monasterio a quibusdam canonicis eiusdem monasterii quod dictus canonicus regularis quem in dicta capella tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus, ut dictum est, sedebat et sedere consueuerat in prima sede post decanum dicte capelle et post ipsum decanum primam ebdomadam faciebat. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod a viginti annis citra audiuit dici apud *Diuionem* a multis de quorum nominibus non recolit et adhuc ita dicitur communiter quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti*

rt. 4 à 12. *Stephani* prebendam unam consueuerunt percipere et habere quolibet anno in predicta capella, nec aliud scit de ipso articulo. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod tempore dicti defuncti abbatis *Girardi* et etiam tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, videlicet a viginti annis nuper preteritis usque circa octo annos nuper elapsos, tempore aduentus domini et quadragesime ipse vidit quod dicti abbas et conuentus habuerunt panem et vinum in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit quod per dictum tempus multociens vidit et per multos dies quod alter famulorum predicti monasterii *sancti Stephani* ibat et ire consueuerat ad cellarium dicte capelle reuertebatur ad dictum monasterium cum pane et vino receptis ab ipso in dicto cellario et audiuit et vidit multociens ipse qui loquitur quando erat et comedat in dicto monasterio videlicet in hospicio abbatis dicti loci quod famulus predictus deferens panem et vinum huiusmodi dicebat dicto abbati: domine ecce prebendam unam de capella. Item requisitus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod communis vox et fama est et fuit apud *Diuionem* quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt longeuis temporibus et etiam in possessione vel quasi fuerunt et per longa tempora steterunt tenendi et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quod habuerunt similiter et perceperunt grossos fructus unius prebende in dicta capella et distributiones cothidianas et panem et vinum sicut unus ex canonicis dicte capelle,

Art. 6, 9, 10. abbatis dicti monasterii pro dicto abbate qui abbas habet curam dicte ecclesie *sancti Medardi,* necnon ecclesiarum *beate Marie, beati Nicolai, beati Michaelis* et *beati Petri Diuionis* sicut communiter dicitur et vidit pluries ipse qui loquitur quod dictus sacrista quem instituit et destituit dictus abbas *sancti Stephani* pro sue libito voluntatis recipiebat et recipit oblationes et alia jura parochialia dicte ecclesie *sancti Medardi.* Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit quod predicta ecclesia *sancti Medardi* ad predictum monasterium *sancti Stephani* pertinet prout supra deposuit, et quod totum castrum *Diuionis* prout muri dicti castri et circuitus eorum designant est in parochiatu predicte ecclesie *sancti Medardi,* in quo quidem castro constructa et edificata fuit capella, excepta quadam parte ipsius capelle que est extra dictos muros que pars est vel in parochiatu *sancti Medardi,* vel in parochiatu ecclesie *beate Marie* diuionensie, que ecclesia *beate Marie* modo simili ad dictum monasterium dignoscitur pertinere, et ita communiter vidit et audiuit dici ipse qui loquitur per dictum castrum est in parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi* et quod a quindecim annis citra manentes in eodem castro, exceptis canonicis, presbyteris, capellanis et clericis dicte capelle se gerebant et adhuc gerunt pro parochianis dicte ecclesie *sancti Medardi* et ibant ad ipsam ecclesiam tanquam ad eorum parochialem ecclesiam. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera. Item et super decimo articulo, qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit quod ipse pluries vidit, legit et transcripsit manu sua predictam compositionem et confirmationem eiusdem a duodecim annis citra pro abbate *sancti Stephani* predicti et ad opus abbatis et conuentus monasterii *sancti Stephani* predicti. Item requisitus super

Art. 11, 12. undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia vidit pluries et frequenter quod tempore aduentus domini et quadragesime dicti abbas et conuentus percipiebant panem et vinum in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et vidit panem et vinum huiusmodi per nuncium dicti monasterii *sancti Stephani* deferri ad dictum monasterium per plures annos, a quindecim annis citra, dicens tamen ipse qui loquitur quod sibi videtur quod bene sunt sex anni elapsi vel circa quod non vidit panem et vinum huiusmodi percipi a dictis religiosis nec deferri ad dictum monasterium, sed ante dictum tempus pluries de dicto pane comedit in dicto monasterio et de vino bibit et pluries audiuit dici a multis quod ecclesia *sancti Stephani* diuionensis seruiens in dicta capella per unum de canonicis suis percipiebat et percipere consueuerat et debebat panem et vinum et distributiones cothidianas ac grossos fructus unius prebende dicte capelle, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle residens ac deseruiens in eadem, et vidit pluries ipse qui loquitur a quindecim annis proximo preteritis usque ad sex annos proximo preteritos vel circa fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii *sancti Stephani*, qui seruiebat pro dicta ecclesia *sancti Stephani* in dicta capella sicut unus ex canonicis eiusdem capelle et post ipsum *Odonem* ita vidit seruire in dicta capella fratrem *Hugonem*, dictum *Millot*, canonici dicti monasterii, et quosdam alios canonicos eiusdem dicti monasterii. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod ita credit quia ita dicitur communiter apud dictas ecclesias et apud *Diuionem*. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur prout credit et intendit. Item interrogatus unde primo originem habuit huiusmodi fama et vox,

Art. 13, 32, 35. dixit quod ipse ignorat. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia dicte partes et cetera, dixit quod vidit plures processus et plurima acta confecta super quibusdam de contentis in compositione predicta coram dicto domine duce, et quod a tresdecim annis proximo preteritis vidit procuratores dictarum partium comparere plures coram magistro *Johanne* de *Lugduno*, domino *Johanne* de *Sinemuro* et domino *Richardo* de *Monte Moreto*, bailliuo dicti domini ducis, commissariis datis ab eodem duce et litigare inter se super quibusdam articulis contentis in dicta compositione et aliis grauaminibus quod illi de *sancto Stephano* dicebant si vi fere illata ab illis de capella et audiuit legi in judicio commissiones dictis commissariis factas a dicto domino duce super premissis in quibus commissionibus continebatur prout sibi videtur quod de consensu procuratorum utriusque partis dictus dux eisdem commissariis vices suas comisat in hac parte. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia vidit percipi et asportari panem et vinum de cellerario capituli dicte capelle, prout supra deposuit ad predictum monasterium *sancti Stephani*, et vidit quod ecclesia *sancti Stephani* seruiebat per unum de canonicis suis in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle et quia audiuit dici pluries a predicto fratre *Odone Verroquier* quem vidit seruire in dicta capella et premissum est et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit, apud *Diuionem* a quindecim annis citra quod ipse frater *Odo* seruiens in dicta capella pro predicta ecclesia *sancti Stephani* percipiebat et habebat distributiones cotidianas

Art. 36 à 48. sicut unus ex canonicis dicte capelle; et quod ecclesia *sancti Stephani* predicti percipiebat panem et vinum et grossos fructus unius prebende in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle residens et seruiens in eadem. Item requisitus super tricesimo sexto et septimo articulis, dixit se nihil scire. Item super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis ex certa scientia et cetera, dixit quod a viginti annis proximo preteritis usque ad quatuor annos nuper elapsos ipse vidit pluries et quasi continue quod abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem sicut et unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud predictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et etiam apud *Diuionem* quod abbatis et conuentus predicti habuerunt et perceperunt et habere et percipere consueuerunt in predicta capella unam prebendam integram, sicut unus ex canonicis dicte capelle et ipsam perceperunt et habuerunt in ipsa capella in eodem modo quo canonici residentes in dicta capella perceperunt et habuerunt et quod seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis, sicut unus ex canonicis dicte capelle, causam scientie reddens quia ita dicitur communiter et ita vidit contineri in compositione predicta. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit ut supra. Interrogatus unde habuit originem huiusmodi fama et vox, dixit quod a dicta compositione et ab illis qui ita viderunt et audiuerunt et quia ita dicitur notorie apud *Diuionem*. Item requisitus super quadragesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire.

Art. 49 à 62. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod dicitur communiter apud *Diuionem* quod quicquid est in castro de *Diuione* circum circa dictam capellam que sita est in dicto castro, excepta quadam parte ut dictum est, est in parochia et intra fines parochie dicte ecclesie *sancti Medardi* dicens quod ita audiuit dici pluries a viginti annis citra et quod istud est notorium apud *Diuionem*.

Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia vidit contineri in confirmatione compositionis dicte quam confirmationem vidit et tenuit bullatam quod decanus dict ecapelle gerit curam animarum ducis et ducisse. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre, vinee et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod ipsa ecclesia est baptismalis et ibidem sunt fontes in quibus multos pueros audiuit et vidit baptisari, et in quibus generaliter infantes quos contingit nasci in parochia dicte ecclesie *sancti Medardi* que continet totum castrum *Diuionis* baptisari consueuerunt per illum qui regit dictam ecclesiam *sancti Medardi* vel per alium pro ipso. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones site intra parochias et cetera, dixit quod dicitur communiter apud *Diuionem* quod terre, vinee et possessiones site intra parochias ecclesiarum *sancti Medardi, beate Marie, beati Nicolai, beati Michaelis* et *beati Petri* de *Diuione* que ecclesie ad

Art. 63, 64. abbatem et conuentum seu ecclesiam *sancti Stephani* predicti pertinere nascuntur sunt de consuetudine antiquissima et consueuerunt esse decimales monasterio, abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbatis et conuentus decimas percipere et habere ; et etiam ipse qui loquitur vidit pluries et plures annos a viginti annis citra quod generaliter quolibet annō parochiani dictarum parochiarum qui habebant vineas intra parochias predictas veniebant et venire consueuerant tempore quadragesime ad dictum monasterium *sancti Stephani* ad concordandum et satisfaciendum decimatoribus deputatis ad leuandum dictas decimas, ab abbate dicti monasterii de decimis in quibus dictis abbati et conuentui et eorum monasterio tenebantur ratione vinearum suarum quas habebant intra fines parochiatuum predictorum, et ita vidit pluries ipse qui loquitur et fuit cum decimatoribus predictis quos vidit recipere pecuniam a multis hominibus de quorum nominibus ad presens non recolit ratione vinearum suarum solentium dictam pecuniam occasione decimatorum in quibus dictis religiosis tenebantur. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et receperunt et cetera, dixit quod anno quolibet dicti abbas et conuentus consueuerunt percipere per illum seu illos quem vel quos ad hoc deputant, census ex domibus existentibus intra dictas parochias et ita vidit pluries a viginti annis citra tempore abbatis *Girardi*, defuncti, et tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, quod defuncti *Laurentius* de *Diuione*, clericus, et *Richardus* eius filius pro dictis abbate et conuentu exigebant et leuabant et exigere et levare consueuerant dictos census per predictas parochias et in eisdem parochiis dicens ipse qui loquitur quod istud communiter et notorie dicitur apud *Diuionem*. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit.

Art. 65 à 69. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod ita dicitur communiter apud *Diuionem* sicut in eodem articulo continetur videlicet de vineis, terris et possessionibus existentibus intra prefatas parochias. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia nunquam vidit nec audiuit quod aliquis super hoc contenderit nisi fuerint illi de capella qui dicunt se esse exemptos. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod licet dicta compositio et cetera. Item et super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et cetera, dixit quod audiuit dici apud *Diuionem* a pluribus quorum nomina ignorat ad presens quod dicti decanus et capitulum recusant et recusauerunt solvere censum et decimam generaliter, nec aliud scit. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis, vineis et cetera, dixit quod bene audiuit dici ab aliquibus ex canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit quod ipsi non tenebantur dictis religiosis ad aliquam decimam et quod dicta compositio non valebat et quod super hoc lis erat in romana curia inter partes predictas. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit publica vox et cetera, dixit quod dicitur communiter apud *Diuionem* quod domus, terre, vinee et possessiones site in parochiis et intra fines parochiatuum predictarum ecclesiarum *sancti Medardi, beate Marie*, *beati Nicolai*, *beati Michaelis* et *beati Petri* de *Diuione* pertinentium cum suis parochiatibus pleno jure ad predictum monasterium *sancti Stephani* fuerunt ab antiquo et esse consueuerunt censuales dicte ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* nisi sint excepte jure aliquo speciali et quod dicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit ecclesia baptismalis

Art. 76 à 93. et habet quinque parochias predictas apud *Diuionem* sub se quarum parrochiarum terre, vinee et possessiones site intra easdem sunt de consuetudine antiquissima et consueuerunt esse decimales monasterio abbati et conuentui *sancti Stephani* et exinde consueuerunt dicti abbas et conuentus decimas percipere et habere et quod perceperunt et percipi ac recipi fecerunt censum et decimas intra parochias predictas, et quod decanus et canonici dicte capelle recusauerunt et recusant solvere censum et decimas de possessionibus quas habent intra dictas parochias. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit quod predictus dux se gerebat pro judice et conseruatore dicte compositionis virtute verborum in dicta compositione expressorum. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia ita audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, sed bene audiuit dici quod dicte partes dictam compositionem obseruauerunt per aliqua tempora et jurauerunt se seruaturos eamdem.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod a viginti annis proximo preteritis usque ad quatuor annos vel circa nuper elapsos, et

Art. 2, 3. sequentes immediate, dicti abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit quod per dictum tempus pluries ita vidit in dicta capella et presens fuit et audiuit et vidit quod dictus canonicus que ibi tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus ut dictum est, pluries celebrabat in dicta capella magnam missam, et quod quando non celebrabat eamdem, ipse stabat vel sedebat in choro dicte capelle et ibidem cantabat et faciebat diuinum officium sicut unus ex canonicis dicte capelle dicens ipse qui loquitur quod istud manifestum est et notorium apud *Diuionem*. Item interrogatus quot vicibus ita vidit et audiuit, dixit quod multis vicibus et plus quam decies. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod ipse vidit aliquando tempore abbatis *Girardi* et tempore fratris *Hugonis*, successoris ipsius *G...*, quod frater *Odo,* dictus *Verroquier*, canonicus dicti monasterii, seruiebat ut dictum est in dicta capella et vidit eum sedere et esse in dicto choro in quadam sede immediate juxta decanum dicte capelle, et quod ipse qui loquitur pluries audiuit dici in dicto monasterio a quibusdam canonicis eiusdem monasterii quod dictus canonicus regularis quem in dicta capella tenuerunt et habuerunt dicti abbas et conuentus, ut dictum est, sedebat et sedere consueuerat in prima sede post decanum dicte capelle et post ipsum decanum primam ebdomadam faciebat. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod a viginti annis citra audiuit dici apud *Diuionem* a multis de quorum nominibus non recolit et adhuc ita dicitur communiter quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti*

t. 4 à 12. *Stephani* prebendam unam consueuerunt percipere et habere quolibet anno in predicta capella, nec aliud scit de ipso articulo. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod tempore dicti defuncti abbatis *Girardi* et etiam tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, videlicet a viginti annis nuper preteritis usque circa octo annos nuper elapsos, tempore aduentus domini et quadragesime ipse vidit quod dicti abbas et conuentus habuerunt panem et vinum in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit quod per dictum tempus multociens vidit et per multos dies quod alter famulorum predicti monasterii *sancti Stephani* ibat et ire consueuerat ad cellarium dicte capelle reuertebatur ad dictum monasterium cum pane et vino receptis ab ipso in dicto cellario et audiuit et vidit multociens ipse qui loquitur quando erat et comedat in dicto monasterio videlicet in hospicio abbatis dicti loci quod famulus predictus deferens panem et vinum huiusmodi dicebat dicto abbati: domine ecce prebendam unam de capella. Item requisitus super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod communis vox et fama est et fuit apud *Diuionem* quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt longeuis temporibus et etiam in possessione vel quasi fuerunt et per longa tempora steterunt tenendi et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quod habuerunt similiter et perceperunt grossos fructus unius prebende in dicta capella et distributiones cothidianas et panem et vinum sicut unus ex canonicis dicte capelle,

causam scientie reddens quia ita dicitur communiter apud *Diuionem*, et quia istud est notorium ibidem, dixit etiam ipse qui loquitur quod vox communis et fama est et fuit apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle, quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle denegauerunt et recusauerunt lite pendente inter easdem partes in curia romana, respondere predictis abbati et conuentui de distributionibus cothidianis, pane et vino, et grossis fructibus unius prebende dicte capelle spoliando eos de predictis et quod expulserunt de dicta capella canonicum quem ibi habebant dicti abbas et conuentus nec permiserunt eum in dicta capella sede sedere, nec etiam dictam capellam intrare, nec primam ebdomadam post dictum decanum facere. Interrogatus quomodo scit, dixit quia a quatuor annis nuper preteritis citra ita audiuit dici communiter in predictis ecclesiis et in locis conuicinis, nec aliud scit. Item ipse qui loquitur, interrogatus cuius conditionis sit utrum seruilis vel libere, dixit quod libere. Item interrogatus si attineat alicui dictarum partium, dixit quod non. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod quadraginta libras turonenses et amplius. Item interrogatus qualem partem vellet obtinere in dicta causa, dixit quod illam que jus habet in eadem. Interrogatus si unquam fuit dampnatus de aliquo crimine vel priuato et si predicta deposuit prece vel precio, vel doctus ab aliquo et cetera, dixit quod non.

Septimus decimus testis.

Art. 2. Item magister *Johannes* dictus *Escharrus* canonicus predicte capelle testis productus ex parte dictorum religiosorum in causa predicta contra prefatos decanum et capitulum, receptus, juratus et requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod

Art. 6, 9 à 11. predicta ecclesia *sancti Medardi* et cetera, dixit quod credit quod dicta ecclesia *sancti Medardi* respondet et respondit per longum tempus abbati et ecclesie *sancti Stephani* diuionensis quia vidit eam gubernari per canonicis *sancti Stephani* predicti, sed nescit utrum dicta ecclesia *sancti Medardi* habeat parochiatum, quia credit quod ipsa ecclesia *sancti Medardi* sit una capella pertinens ad predictam ecclesiam *sancti Stephani* et credit quod apud ecclesiam predictam *sancti Stephani* sit parochiatus dicte ecclesie *sancti Medardi* propter hoc quod apud *sanctum Stephanum* predictum sunt fontes baptismales et non in ecclesia *sancti Medardi*, dicens tamen quod multa corpora mortuorum vidit ad dictam ecclesiam *sancti Medardi* asportari et inhumari in cimiterio quod est inter dictas ecclesias *sancti Medardi* et *sancti Stephani*, sed nescit ad quam ecclesiarum predictarum dictum cimiterium pertineat. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono, et decimo, ac etiam super undecimo et duodecimo articulis, dixit quod ipse vidit dictam compositionem sigillatam ut credit quatuor sigillis et vidit confirmationem dicte compositionis bullatam, sed non recolit de nomine pontificis qui etiam confirmauit, dicens quod dicta confirmatio quam vidit non continebat tenorem dicte compositionis, et quod tenor ipsius non erat instructus in eadem confirmatione, et ita vidit pluries in dicta capella videlicet in illo loco qui dicitur Thesaurus dicte capelle, dicens ipse qui loquitur quod credit, quod dicta compositio per aliqua tempora fuit obseruata inter dictas partes et quod apud *Diuionem* dicitur a pluribus quod dicta ecclesia *sancti Medardi* est ecclesia parochialis et pertinet ad dictam ecclesiam *sancti Stephani*, dicens etiam ipse qui loquitur quod ipse audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit quod dicta capella

Art. 13, 32, 35. ducis edificata fuit in parochiatu ecclesie *sancti Stephani* predicti et non in parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi*. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod supra discordia dicta dicte partes et cetera, dixit quod bene sunt decem anni elapsi vel circa et etiam a decem annis citra, quod ipse vidit quod dicte partes comparebant coram domino *Roberto*, duce *Burgundie* et litigabant super quibusdam articulis contentis in dicta compositione, sed pars illorum de capella non sponte litigabat coram dicto domino duce imo dicebat quod cognitio dicte compositionis ad ipsum non spectabat, et respondebat coram dicto domino duce timens ne dictus dux caperet vel capi faceret bona dicte capelle si recusaret litigare coram dicto duce a quo ipse qui loquitur audiuit dici quod ipse dux erat conseruator dicte compositionis et dicebat dictus dux quod virtute confirmationis dicte compositionis poterat excomunicare, et diu fuit litigatum inter dictas partes coram dicto duce et eius commissariis presente ipso qui loquitur qui pluries in ipso litigio fuit aduocatus pro dictis decano et capitulo contra dictos abbatem et conuentum tam coram dicto duce quam coram commissariis suis, et audiuit dici postea quod dictus dux pronuntiauit per suam interlocutoriam se posse cognoscere de contentis in dicta compositione et eam facere obseruare et quod ex parte dictorum decani et capituli fuit appellatum a dicta interlocutoria ad sedem apostolicam. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit inter partes et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti et cetera, dixit quod bene sunt quinque anni elapsi vel circa quod ipse qui loquitur est et fuit canonicus dicte capelle, et nescit si a tempore huiusmodi citra habuerunt dictam prebendam in predicta

Art. 36 à 39. capella sed ipse bene credit quod ante dictum tempus dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt et habere et percipere consueuerunt in dicta capella per plures annos unam prebendam integram, sicut unus ex canonicis dicte capelle, et ita audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia ita audiuit dici a *Perrello* de *Marreio* quondam cellerario dicte capelle, et a pluribus aliis de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia bene sunt duodecim anni elapsi et amplius quod ipse vidit quod predicta ecclesia *sancti Stephani* seruiebat in eadem capella per unum de canonicis suis videlicet per fratrem *Nicolaum* dictum *Laudate* cui fratri *Nicolao* vidit pluries tradi per cellerarium dicte capelle, vel per alium loco sui de dicta pecunia que solui consueuit in dicta capella pro dictis anniuersariis et bene credit quod eidem tradebatur tantum de pecunia, quantum uni de canonicis dicte capelle presenti et seruienti in dicta capella, et ita vidit de fratre *Odone*, dicto *Verroquier*, canonico *sancti Stephani* predicti. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius quod ipse vidit predictum fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, canonicum *sancti Stephani* predicti qui seruiebat in dicta capella pro abbate et ecclesia *sancti Stephani*, et postea fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti loci, qui similiter seruiebat in dicta capella, et ita vidit in dicta capella pluries et per plures annos. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus seu ecclesia et

Art. 40 à 50. cetera, dixit quod ipse credit quod perceperunt prebendam unam de bonis dicte capelle per plures annos, quia ita audiuit dici, nec aliud scit de ipso articulo, nisi quod a duobus annis citra dictum fuit ipsi qui loquitur in capitulo dicte capelle, quod canonici eiusdem loci distinxerant prebendas dicte capelle quam distinctionem ipse habuit votam, et modo canonici dicte capelle habent prebendas suas distinctas. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbas et conuentus et cetera, dixit se nihil scire, nisi de dicta distinctione facta a duobus annis citra. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisierunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse et quod sibi videtur quod ita continebatur in articulis dictorum abbatis et conuentus datis contra dictos decanum et capitulum coram dicto duce. Item requisitus super quadragesimo quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici a pluribus de quorum nominibus ad presens non recolit quod quando unus ex canonicis dicte capelle moritur quod ecclesia *sancti Stephani* predicti debet percipere prebendam suam quam percipiebat in dicta capella per unum annum et quod quando aliquis ex canonicis dicte capelle credit vel renuntiat prebende sue dicta ecclesia *sancti Stephani* in prebenda cedentis et renuntiantis nihil percipit.

Item requisitus super quinquagesino articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta ecclesia et cetera, dixit se nihil scire et quod ignorat utrum dicta ecclesia *sancti Medardi* habeat parochiatum.

Art. 51, 60 à 63. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod vidit contineri in priuilegiis concessis dicte ecclesie a sede apostolica quod dictus decanus ex indulto dicte sedis habet curam animarum ducis et ducisse, sed non vidit contineri in ipsis priuilegiis quod dictus decanus haberet cura solius ducis et ducisse. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre et cetera, dixit quod bene audiuit dici a pluribus de quorum nominibus ad presens non recolit quod ecclesia, abbas et conuentus *sancti Stephani* predicti consueuerunt percipere census ex domibus sitis intra fines quorumcumque parochiatuum *sancti Stephani*, sed nescit quod capella predicta nec locus in quo sita est fuit ab antiquo vel esse consueuerit dictis abbati et conuentui censualis, nec quod sita sit intra fines alicuius parochiatus *sancti Stephani* immo dicit quod dicta capella totaliter est exempta et fuit a tempore sue fundationis prout vidit contineri ipse qui loquitur in priuilegiis dicte capelle ab apostolica sede concessis, nec scit aliquid de exemptione contenta in dicto articulo. Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et cetera, dixit quod nihil scit de antiquo tempore, sed bene credit quod dicta ecclesia *sancti Stephani* sit baptismalis et parochialis propter hoc quod inibi sunt fontes baptismales. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones et cetera, dixit quod ita credit et ita audiuit dici apud *Diuionem* a pluribus de quorum nominibus non recolit dicens tamen quod nihil scit de antiquissima consuetudine. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse

Art. 64 à 69, 76 à 89. quia ita audiuit dici apud *Diuionem* in multis locis a pluribus de quorum nominibus non recolit, sed credit tamen quod domus in quibus morantur canonici dicte capelle non tenentur dictis religiosis ad censum et videtur sibi quod ita audiuerit dici. Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod credit dictum articulum verum esse quia ita dicitur communiter apud *Diuionem*, exceptis vineis canonicorum dicte capelle et illis vineis etiam que pertinent ad dictam ecclesiam quia dicitur quod decanus et capitulum predicti non consueuerunt dictis abbati et conuentui soluere decimam de vineis quas habent in parochiatibus eorum. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera. Item et super septuagesimo septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo articulo qui sic incipit. Item quod computatis omnibus et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo primo, secundo, tertio, quarto et quinto articulis, dixit se nihil scire, nisi quod dictus dux se gerebat pro judice seu conseruatore dicte compositionis et nolebat cognoscere inter dictas partes de contentis in dicta compositione sicut predixit ipse qui loquitur. Item requisitus super octogesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod de predictis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod predicta compositio per aliqua tempora et cetera, dixit quod credit quod dicta compositio quam ipse qui loquitur predixit se vidisse fuit obseruata inter ipsas partes et ab ipsis

Art. 90, 93. partibus per aliqua tempora quia ita audiuit dici a pluribus de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, nisi quod a quinque annis citra quadam die de qua non recolit frater *Hugo*, nunc abbas dicti monasterii, dixit ipsi qui loquitur, quod ipse debebat facere seu jurare fidelitatem eidem abbati et quod bene audiuit dici quod quidam canonici dicte capelle predicte capelle requisiti fuerunt quod obseruarent et jurarent dictam compositionem.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit dictum articulum verum esse, hoc excepto quod non recolit utrum dictum canonicum regularem tenuerunt et habuerunt longeuis temporibus vel in dicta possessione fuerunt per longa tempora. Interrogatus quomodo scit, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius quod tenuerunt et habuerunt ut dictum est in dicta capella fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, canonicum dicti monasterii *sancti Stephani*, et ita vidit ipse qui loquitur pluries et per plures annos in predicta capella presentibus ibidem multis canonicis, capellanis et clericis eiusdem capelle de quorum nominibus ad presens non recolit hora qua consueuerunt diuinum officium celebrari in dicta capella, et etiam a dictis viginti annis citra, ita vidit pluries. Interrogatus quocies ita vidit, dixit quod pluribus vicibus de quarum numero non recolit, et ita vidit tempore fratris *Girardi*, quondam abbatis dicti monasterii, et tempore defuncti *Arnaudi*, quondam decani dicte capelle, et post ipsum fratrem *Nicolaum* vidit quod tenuerunt et habuerunt ut dictum est in dicta capella fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicum dicti monasterii *sancti Stephani*, quem fratrem *Odonem*

Art. 2. vidit in dicta capella et in choro eiusdem una cum canonicis, capellanis et clericis dicte capelle facientem diuinum officium in dicta capella horis quibus dictum officium fieri consueuit in ea, sicut unus ex canonicis dicte capelle faciebat, et ita vidit pluribus vicibus de quarum numero non recolit tempore magni *Lamberti*, nunc decani dicte capelle, et tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii. Item dixit ipse qui loquitur quod post ipsum fratrem *Odonem*, ipse vidit quod frater *Guillelmus*, dictus *Hopitaul*, canonicus dicti monasterii, venit in dictam capellam ut ibi seruiret pro abbate et ecclesia *sancti Stephani* predicti, et quia non erat missus ab abbate modo debito ad seruiendum ut dicebatur nec nolebat seruire in dicta capella prout ordinatum fuerat per decanum et capitulum dicte capelle ideo nulle distributiones soluebantur eidem fratri *Guillelmo*, sicut dixit ipse qui loquitur, et eodem modo quo vidit de dicto fratre *Guillelmo*, ita vidit de fratre *Hugone*, dicto *Millot*, canonico dicti monasterii. Interrogatus de tempore quo ita vidit, dixit quod circa quatuor annos nuper preteritos tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii, et tempore magistri *Lamberti*, nunc decani dicte capelle, ita vidit in eadem capella. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et tenuerunt ut dictum est sedebat et cetera, dixit se nihil scire, immo vidit aliquociens quod dictus frater *Nicolaus* sedebat in choro dicte capelle cum vicariis et presbyteris dicti chori, et non in prima sede post dictum decanum, sed multum remotus a sede ipsius decani et ultra sedem dicti decani, et propter ipsum decanum sedebant canonici dicte capelle, dixit etiam ipse qui loquitur quod ab octo annis citra ipse vidit aliquociens quod dictus frater *Odo*, dictus *Verroquier*, canonicus dicti monasterii, qui seruiebat in dicta capella ut dictum est nolebat sibi de nouo acquirere dictam

Art. 3 à 9. primam sedem post ipsum decanum et propter nouitatem huiusmodi quam faciebat in dicta capella fuerunt eidem dicte multe injurie et multa aspera verba in choro dicte capelle et quod quando idem frater *Odo*, vel frater *Guillelmus Hopitaul*, seu frater *Hugo*, dictus *Millot*, sedebat in dicta sede cessabatur in dicta capella penitus a diuinis et dicebant canonici dicte capelle qui presentes erant ibidem presente teste qui loquitur quod nunquam accideret quod ecclesia *sancti Stephani* predicti sibi in dicta capella acquireret novam sedem. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* et cetera. Item et super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et ecclesia habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod videtur testi qui loquitur quod bene sunt octo vel nouem anni elapsi quod dictus frater *Odo Verroquier*, seruiens in dicta capella ut dictum est percipiebat distributiones cotidianas sicut unus ex canonicis dicte capelle, et quod similiter bene videtur sibi quod a viginti annis citra pluries audiuit dici apud *Diuionem* a multis de quorum nominibus non recolit quod dicti abbas et conuentus consueuerunt habere et percipere grossos fructus unius prebende in dicta capella et panem et vinum, sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quinto, sexto, septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et canonici et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod circa quatuor annos nuper preteritos ipse vidit quod quando alter dictorum fratris *Guillelmi* seu *Hugonis* veniebat ad dictam capellam et sedebat in dicta sede cessabatur in dicta capella a diuinis et quod canonici dicte capelle presentes ibidem dicebant quod ecclesia *sancti Stephani* nunquam sibi acquireret sedem illam nec permittebant quod faceret primam ebdomadam

Art. 10, 12. post ipsum decanum pretendentes prout sibi qui loquitur videtur quod in septimanis faciendis persone dicte capelle videlicet decanus, cantor, thesaurarius et prepositus eiusdem loci preponi debebant. Item requisitus super decimo, undecimo et duodecimo articulis, dixit se nihil scire. Item interrogatus utrum prece vel precio et si fuit instructus ab aliquo vel doctus ut ita deponeret et cetera, dixit quod non.

Duodevicesimus testis.

Art. 90. Item dominus *Johannes* de *Trouhans* lingonensis ac predicte capelle canonicus, testis productus in causa predicta ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum, receptus et juratus quem quidem testem properantem iter suum eundi *Romam* ubi erat indulgentia generalis : frater *Hugo* abbas predicti monasterii *sancti Stephani* solum requiri et interrogari voluit super articulis libelli attemptatorum et aliis precedentibus articulis in quibus sit mentio quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo et cetera, dixit qui etiam testis requisitus seu interrogatus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo scilicet dominus *Robertus*, cantor, et cetera, dixit per juramentum suum quod bene sunt decem et octo anni elapsi vel circa quod ipse audiuit dici a pluribus canonicis dicte capelle quod ipsi jurauerant in ecclesia *sancti Stephani* predicti se seruaturos quamdam compositionem olim factam inter partes predictas seu fidelitatem in qua tenebantur abbati et conuentui dicti monasterii *sancti Stephani* dicens ipse qui loquitur quod circa predictum tempus decem et octo annorum, defunctus frater *Girardus*, quondam abbas

Art. 91, 93. dicti monasterii, requisiuit dictum juramentum fecit et fidelitatem predictam se seruaturos promisit, prout ceteri canonici dicte capelle eam facere et jurare consueuerant. Item requisitus super nonogesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod in ecclesia *sancti Stephani* jurauerunt et cetera, dixit quod ipse qui loquitur jurauit in dicta ecclesia *sancti Stephani* presente dicto abbate *Girardo* et pluribus aliis de quorum nominibus non recolit nec de die, mense vel septimana seu hora. Interrogatus in quo loco dicte ecclesie jurauit, dixit quod ante magnum altare dicte ecclesie *sancti Stephani* jurauit et credit quod ceteri canonici dicte capelle qui jurauerunt dicto tempore, in eodem loco jurauerunt. Item requisitus super nonogesimo secundo et tertio articulis, dixit quod ita pluries audiuit dici apud *Diuionem* a multis de quorum nominibus non recolit propter quod credit dictos articulos veros esse, et credit quod multi canonici dicte capelle qui nunc sunt dictum juramentum facere noluerunt et adhuc nolunt.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni et amplius elapsi quod ipse est et fuit canonicus predicte capellę et a dicto tempore usque ad tres vel duos annos proximo preteritos vidit pluries et frequenter quando erat apud *Diuionem* et veniebat ad dictam capellam quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* predicti tenuerunt et habuerunt ac etiam in possessione vel quasi fuerunt, juris tenendi et habendi in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle, et vidit dictum canonicum regularem esse in choro dicte capelle horis debitis et consuetis ad

Art. 2 à 4. faciendum ibidem diuinum officium et cantare cum certis canonicis dicte capelle in dicto choro et legere sicut unus ex eis, et celebrare magnam missam in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle pluries per dictum tempus tempore defuncti domini *Artaudi,* quondam decani dicte capelle et tempore magni *Lamberti,* nunc decani eiusdem capelle, ac etiam tempore predicti fratris *Girardi,* quondam abbatis dicti monasterii *sancti Stephani,* et tempore fratris *Hugonis,* nunc abbatis dicti monasterii. Interrogatus quando primo ita vidit, dixit quod non recolit, nisi quod bene sunt viginti anni elapsi quod primo ita vidit in choro predicte capelle, presentibus ibidem decano et canonicis pluribus dicte capelle ac etiam multis capellanis, presbyteris et clericis dicte capelle et post modum ita vidit pluries a dicto tempore usque ad dictos tres vel duos annos proximo preteritos. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibi habuerunt et cetera, dixit quod non recolit quod dictus canonicus certam sedem haberet in dicta capella, sed credit quod post ipsum decanum faciebat et facere consueuerat primam ebdomadam. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et cetera. Item et super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et diuturnis temporibus et cetera, dixit quod credit dictos articulos, tertium et quartum, videlicet veros esse, quia a tempore quo fuit canonicus dicte capelle citra pluries audiuit dici a decano et capitulo dicte capelle, dum ipse qui loquitur esset cum eis in dicta capella in loco solito ad capitulandum quod ecclesia *sancti Stephani* predicti desseruiens in dicta capella per unum de canonicis suis consueuit percipere et habere in dicta capella grossos fructus unius prebende, panem et vinum et distributiones cotidianas in eadem

Art. 5 à 12 capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super quinto et sexto articulis, dixit se penitus nihil scire. Item requisitus super septimo articulo qui sic incipit. Item quod post appellationem et lite mota et cetera, dixit quod ab octo annis citra et lite predicta mota et pendente, ipse qui loquitur audiuit dici in dicta capella a pluribus canonicis eiusdem capelle quod decanus et capitulum ac canonici dicte capelle denegauerunt et recusauerunt respondere predictis abbati et conuentui de distributionibus cotidianis, pane ac vino et de grossis fructibus dicte prebende sed hoc fecerunt justa de causa ut dicebant. Item requisitus super octauo articulo qui sic incipit. Item quod lite mota ac pendente dicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit quod credit quod dicti decanus et capitulum subtraxerunt seu recusauerunt predicta eisdem abbati et conuentui *sancti Stephani,* sed nescit utrum eos indebite spoliando. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et canonici dicte capelle ejecerant et cetera, dixit quod nescit si ejecerunt et expulerunt canonicum quem ibi habebant et tenebant abbas et conuentus predicti de dicta sede sed bene credit quod sibi inhibuerunt ne sederet in dicta sede et quod non permiserunt eum facere primam ebdomadam post dictum decanum. Item requisitus super decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod est et diu fuit vox communis et cetera, dixit quod vox communis et fama est et fuit apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle a tempore viginti annorum citra, et credit quod diu antea fuit, quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et tenere et habere consueuerunt in predicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in ipsa capella,

sicut unus ex canonicis dicte capelle et quod habuerunt et perceperunt et habere et percipere consueuerunt grossos fructus unius prebende in communi bursa capituli dicte capelle, et quod habuerunt et perceperunt panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit istud est notorium et ita communiter dicitur apud dictas ecclesias. Item interrogatus cuius conditionis sit, ipse qui loquitur dixit quod libere, et quod est nobilis generis. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod valorem centum librarum et amplius. Interrogatus si unquam fuit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato, et si hoc deponat prece vel precio, odio vel timore et cetera, dixit quod non.

Undevicesimus testis.

Art 2, 6. Item dictus *Johannes Guiffredi* canonicus predicte capelle ac rector ecclesie de *Beligneo* subtus *Belnam* eduensis diocesis testis productus in causa predicta ex parte dictorum religiosorum contra predictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis, cum suo parochiatu et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod vidit aliquocies a decem annis citra aliquos ex canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* celebrare diuina in predicta ecclesia *sancti Medardi*. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod a decem annis citra audiuit dici pluries apud *Diuionem* a fratre *Hugone* abbate dicti monasterii, et a domino *Radulpho* de *sancto Luppo* presbytero et a magistro *Benaldo* de *monte Antelmi*, procuratoribus abbatis ut dicit abbatis et

Art. 9 à 13. conuentus dicti monasterii quod dicta capella edificata fuit pro majori parte in parochiatu predicte ecclesie *sancti Medardi*. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterata suscitata questione et cetera. Item et super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio seu amicabilis compositio et cetera, dixit quod ipse vidit quamdam litteram que erat bullata, cuius littere principium erat... *Honorius*, episcopus, servus seruorum dei et cetera, et continebatur in eadem littera tenor cuiusdam compositionis olim facte inter predictas partes super integritate unius prebende dicte capelle quam petebant dicti abbas et conuentus a dictis decano et capitulo super qua etiam compositione agitur inter partes predictas prout dicit ipse qui loquitur et quia dictam litteram vidit, et eam seu copiam eius tenuit et legit et quod dictam litteram vidit exhiberi ex parte procuratorum dictorum abbatis et conuentus in romana curia coram domino *Bartholomeo*, tunc decano pictanensi, et nunc episcopo eduensi, auditore dato dictis partibus a domino papa in causa que occasione dicte compositionis vertebatur inter ipsas partes. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula in ipsa compositione contenta et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod supra dicta discordia dicte partes et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod bene sunt decem anni vel circa elapsi quod ipse qui loquitur fuit et est canonicus dicte capelle et quod ante litem motam inter partes in curia romana, dominus *Robertus*, dux *Burgundie*, et eius commissarii scilicet dominus *Johannes* de *Sinemuro*, et dominus *Richardus* de *monte Moreto*, quondam bailliuus *Diuionis*, pluries citauerunt decanum et capitulum predictos, coram

Art. 32, 35. se ad instantia dictorum abbatis et conuentus et quod ipse qui loquitur vidit dictas partes comparere coram dicto duce et eius commissariis predictis, et audiuit quod pars dictorum abbatis et conuentus petebat quod dicti decanus et capitulum compellerentur per dictum ducem seu eius commissarios predictos ab obseruandum dictam compositionem parte dictorum decani et capituli respondente et proponente quod non tenebantur procedere coram dicto duce vel eius commissariis occasione contentorum in compositione ipsa et dictum dominum ducem non habere in ipsos decanum et capitulum aliquam juridictionem cognoscendi de dicta compositione, sed ipsi coram dicto duce et dictis commissariis procedebant initii et timentes quod si predicte recusarent, ne propter hoc indignationem dicti ducis incurrerent aut radiarent in bonis dicte capelle per gentes dicti ducis ad instantia dictorum abbatis et conuentus qui pluries procurauerunt dictos decanum et capitulum per dictas gentes ducis radiari ut dicit ipse qui loquitur occasione compositionis predicte. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit inter dictas partes per omnia acta et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti non habuerunt et cetera, dixit quod bene sunt septem anni elapsi quod ipse qui loquitur fuit cellerarius dicte capelle per unum annum et illo anno dicti abbas et conuentus habuerunt in dicta capella unam prebendam integram eodem modo quo canonici dicte capelle perceperunt et habuerunt de qua prebenda ipse qui loquitur mandato dictorum abbatis et conuentus integre satisfecit et anno sequenti similiter ex parte dictorum decani et capituli satisfactum fuit presente ipso qui loquitur mandato dictorum abbatis et conuentus de prebenda predicta in capitulo dicte capelle,

Art. 36 à 39. dicens tamen quod satisfactio huiusmodi facta fuit, propter hoc quod ipsi abbas et conuentus predictos decanum et capitulum fecerunt et procurauerunt compelli ad hoc per potentiam domini ducis predicti cuius gentes radiabant et capiebant de bonis dicte capelle ut dicit ad instantiam dictorum abbatis et conuentus et ipsis ratum habentibus quando conquerebantur de eisdem decano et capitulo. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod anno predicto quo fuit cellerarius dicte capelle ipse recepit fructus redditus et obuentiones et bona prouenentia occasione dicte capelle, et ipsa bona equaliter distribuit inter canonicos predicte capelle seruientes in eadem, et illo anno satisfecit mandato dictorum abbatis et conuentus de dicta prebenda dictum est, et soluit tantum quantum illo anno percepit unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item de pecunia et cetera, dixit quod bene sunt decem anni elapsi vel circa, postquam ipse qui loquitur sicut canonicus dicte capelle ipse vidit pluries quando erat in dicta capella quod frater *Odo,* dictus *Verroquier,* canonicus dicti monasterii *sancti Stephani,* seruiebat in dicta capella per dicta ecclesia *sancti Stephani*, et percipiebat de pecunia que solui consueuit pro anniuersariis dicte capelle et habebat tantum quantum unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a tempore quo ipse qui loquitur fuit canonicus dicte capelle, et post etiam per aliqua tempora ipse vidit quod abbas et conuentus dicti monasterii seruierunt in dicta capella per unum de suis canonicis scilicet per dictum fratrem *Odonem*, sicut unus de canonicis capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus et cetera, dixit

Art. 40 à 43. se nihil scire, nisi prout supra deposuit super dictis tricesimo quinto et tricesimo sexto articulis. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et conuentu predictis percipientibus prebendam et cetera, dixit quod decem annis citra, ipse vidit quandoque quod quilibet canonicus dicte capelle seruiens et residens in eadem percipiebat tantummodo duodecim libras viennenses pro grossis fructibus sue prebende in bursa communi dictorum decani et capituli et quandoque vidit quod per dictos decanum et capitulum cuilibet canonico assignabatur certus locus in quo perciperet dictas duodecim libras de redditibus dicte capelle vel redditus dicti loci pro ipsis usque ad certum tempus, et ita fecerunt dicti decanus et capitulum pluries in eorum capitulo prout dicit ipse qui loquitur et ipso presente nec aliud scit de ipso articulo. Item requisitus super quadragesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum adhuc soluunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti requisiuerunt decanum et capitulum et cetera, dixit quod bene sunt octo anni elapsi quod dicte partes comparuerunt per procuratores suos tam coram dicto duce quam coram predictis commissariis suis apud *Diuionem* in aula ipsius ducis quibusdam diebus de quibus non recolit presente ipso qui loquitur qui audiuit quod procurator dictorum abbatis et conuentus petebat et requirebat quod decanus et capitulum et canonici dicte capelle assignarent certam et distinctam prebendam ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* sicut etiam assignauerant singulis canonicis dicte capelle et petebat eos ad hoc compelli par dictos ducem et eius commissarios. Interrogatus de astantibus, dixit quod

Art. 44 à 50. presens erat frater *Hugo*, abbas dicti monasterii, una cum procuratoribus dictarum partium et plures alii de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super quadragesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod requisiuerunt eosdem ut singulis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et canonici et cetera, dixit quod requisiti fuerunt, prout supra dixit super quadragesimo tertio articulo et ex parte eorum fuit propositum et responsum tunc quod ad hoc non tenebantur. Item requisitus super quadragesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod a tempore huiusmodi substraxionis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo nono articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod dicti decanus et capitulum et canonici et cetera, dixit quod tempore et loco de quibus sit mentio in dicto quadragesimo tertio articulo, ex parte dictorum abbatis et conuentus petitum fuit et dictum contra dictos decanum et capitulum et canonicus dicte capelle, presente ipso qui loquitur coram dicto duce quod cum magister *Stephanus*, quondam phisicus dicti ducis, canonicus dicte capelle, de nono mortuus esset quod ipsi decanus et capitulum permitterent percipere dictos abbatem et conuentum prebendam dicti canonici defuncti per unum annum sicut idem canonicus percipiebat eadem ad quod ex parte dictorum decani et capituli responsum fuit quod dicti abbas et conuentus nullum jus habebant in ipsa prebenda. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit quod ita audiuit dici a fratre *Hugone*, abbate dicti monasterii, et a fratre *Odone*, dicto *Verroquier*, canonico eiusdem monasterii, et a domino *Radulpho* de *sancto luppo*, presbytero et magistro

Art. 51, 60 à 69, 76 à 82. *Renaldo* de *Monte Antelini* procuratoribus dictorum abbatis et conuentus. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit a sede apostolica et cetera, dixit quod a decem annis citra pluries audiuit dici in predicta capella et alibi quod decanus dicte capelle habet curam animarum ducis et ducisse, necnon canonicorum ac capellanorum et clericorum dicte capelle et utitur et consueuit uti huiusmodi cure officio inter personas predictas per se vel alium nec aliud scit de ipso articulo. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire, nisi quod in dicta ecclesia *sancti Stephani* sunt fontes baptismales. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et canonici se opponunt et cetera, dixit quod nihil scit, nisi quod a decem annis citra pluries audiuit dici a magistro *Lamberto*, decano et domino *Renaldo* de *Abba petra*, canonico dicte capelle, in capitulo eorum et a quibusdam aliis canonicis et presbyteris dicte capelle de quorum nominibus non recolit quod decanus et capitulum et canonici erant exempti et liberi ab omni solutione decime ratione vinearum suarum dictis abbati et conuentui facienda. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis vineis quas dicta capella et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis est et fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sextô articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera. Item requisitus super septuagesimo septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo, octogesimo primo, secundo

Art. 83 à 93. et tertio articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo quarto articulo qui sic incipit. Primo quod a tempore cuius initii et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super octogesimo quinto et sexto articulis, dixit se nihil scire, et quod similiter nihil scit de octogesimo nono articulo. Item requisitus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod audiuit dici in dicta capella, quod quidam canonici dicte capelle jurauerunt se seruaturos dictam compositionem ad instantiam dictorum abbatis et conuentus qui procurauerunt ut dicitur eos ad hoc compelli per dictum ducem etiam per captionem bonorum dicte capelle. Requisitus a quibus ita audiuit dici, dixit quod a domino *Hugone* de *Bella Nova*, quondam capellano dicte capelle, et a [pluribus aliis de quorum nominibus non recolit. Interrogatus de tempore, dixit quod bene sunt sex anni elapsi et amplius. Interrogatus de die, mense et septimana et hora, dixit quod non recolit; de loco, dixit quod in dicta capella et alibi apud *Diuionem*. Item requisitus super nonogesimo secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, nec scit quod de predictis sit vel fuerit publica vox et fama, sed bene credit quod canonici dicte capelle qui nunc sunt nolunt jurare dictam compositionem.

Art. 1. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus utrum fuit instructus ab aliquo ut ita deponeret et utrum prece vel precio amore gratia et cetera, super hoc ferat testimonium, dixit quod non.

Vicesimus testis.

Art. 2, 6. Item magister *Jacobus* dictus *Espiciers* de *Diuione*, clericus, testis productus ex parte dictorum religiosorum in causa predicta contra dictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus. Interrogatus quid scit super secundo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu et cetera, dixit per juramentum suum quod dictus articulus verus est prout jacet. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ipse bene compleuit septuagesimum annum sue etatis, et a tempore quo ipse habuit intellectum et etiam a quinquaginta annis citra vidit quod dicta ecclesia *sancti Medardi* regebatur et in ea ministrabantur ecclesiastica sacramenta per canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* diuionensis vel per alium seu alios ab abbate dicti monasterii deputatos et adhuc regitur nec unquam audiuit nec vidit fieri seu dici contrarium de contentis in dicto articulo et ita vidit et audiuit tempore defunctorum fratrum *Petri* et *Amedei*, quondam abbatum dicti monasterii, et etiam tempore fratris *Hugonis*, nunc abbatis dicti monasterii *sancti Stephani* nec non tempore decani dicti de *Barion*, magistri *Aubrici*, Petri de *Barro*, et domini *Artaudi*, quondam decanorum dicte capelle, ac etiam tempore magni *Lamberti*, nunc decani eiusdem capelle. Item interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus quinquaginta vel quadraginta annorum est longum prout sibi videtur. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur communiter apud *Diuionem* et dictum fuit a tempore cuius principii memoria non existit quod castrum de *Diuione* est in parochiatu et de parochiatu

Art. 9 à 13, 32, 35 à 38. dicte ecclesie *sancti Medardi*. Item requisitus super nono, decimo et undecimo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud dictas ecclesias *sancti Stephani*, et capelle super contentis in predicto secundo articulo et similiter de quadam compositione sita olim inter dictas partes, et quod castrum de *Diuione* est in parochiatu et de parochiatu dicte ecclesie *sancti Medardi*, et ita pluries audiuit dici et dicitur communiter. Interrogatus quid est dicere publica vox et fama, dixit quod illud quod communiter dicitur a pluribus. Interrogatus a quo primo habuit originem ista fama et vox, dixit quod nescit. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod a quadraginta annis citra ita dicitur communiter et audiuit dici tam in predicto monasterio *sancti Stephani* quam in capella predicta. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et post et cetera, dixit quod ita audiuit dici pluries a quadraginta annis citra a multis de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super tricesimo septimo articulo, dixit se nihil scire, nisi quod pluries audiuit dici quod unus de canonicis dicte ecclesie *sancti Stephani* seruiens in dicta capella percipiebat de dicta pecunia tantum quantum unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod a quadraginta annis et amplius citra

Art. 39 à 51, 60. ita vidit pluries et frequenter et per plures annos dicens quod istud est notorium et manifestum apud *Diuionem*. Item requisitus super tricesimo nono articulo, dixit se nihil scire. Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod a quadraginta annis citra publica vox et fama fuit et est apud dictum *Diuionem* et in ecclesia *beati Stephani* predicti et capelle quod dicti abbas et conuentus habuerunt et ceperunt et habere et percipere consueuerunt in dicta capella unam prebendam integram, sicut unus ex canonicis predicte capelle et quod dicta ecclesia *sancti Stephani* deseruiens per unum de canonicis suis in eadem capella tantum percipiebat de pecunia que pro anniuersariis annis singulis solui consueuit in dicta capella, quantum unus ex canonicis dicte capelle et quod dicti abbas et conuentus seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idonem et fidelem sicut unus ex canonicis dicte capelle. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita dicitur communiter apud dictas ecclesias et quia pluries ita audiuit dici. Item interrogatus quid est dicere publica vox et fama et unde habuit originem primo ista vox et fama, dixit ut supra super duodecimo articulo. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit probare quod abbate et conuentu et cetera. Item et super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se penitus nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo et super quinquagesimo primo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre et cetera, dixit quod ipse habet plures domos in parochiatu ecclesie *sancti Petri* diuionensis de quibus anno quolibet consueuit soluere dictis abbati et conuentui seu mandato eorum censum et generaliter vidit a quin-

Art. 61 à 69, 76. quaginta annis citra per plures annos quod parochiani dicte ecclesie *sancti Petri* que pleno jure noscitur pertinere ad predictam ecclesiam *sancti Stephani,* una cum ecclesiis *sancti Medardi, beate Marie, sancti Nicolai* et *sancti Michaelis* de *Diuione* sine aliqua contradictione consueuerunt soluere censum anno quolibet dictis abbati et conuentui aut mandato eorum ex domibus suis quas habent in dicto parochiatu *sancti Petri,* et a dicto tempore citra ita dicitur communiter apud *Diuionem* quod domus site apud *Diuionem* in parochiis et intra fines quorumcumque parochiatuum dicti monasterii *sancti Stephani* fuerunt ab antiquo et esse consueuerunt censuales dicte ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani.* Item requisitus super sexagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod in dicta ecclesia fuerunt et sunt fontes baptismales, nec aliud scit de ipso articulo. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones et cetera, dixit quod contenta in dicto articulo sunt notoria et manifesta apud *Diuionem* et quod ipse habet terras et vineas intra dictas parochias, de quibus dicti abbas et conuentus aut eorum mandatum anno quolibet decimas percipere consueuerunt et habere, et que consueuerunt esse decimales eisdem. Item requisitus super sexagesimo tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt et cetera, dixit se nihil scire nisi illud quod supra deposuit super sexagesimo articulo. Item requisitus super sexagesimo quarto et quinto articulis, dixit quod ita audiuit dici et ita communiter dicitur apud *Diuionem* a quadraginta annis citra sicut in ipsis articulis continetur nec aliud scit de eisdem. Item requisitus super sexagesimo sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod de

Art. 77 à 93. predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera. Item requisitus super sexagesimo septimo, octauo, nono, octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nonogesimo articulo qui sic incipit. Item quod decanus et canonici dicte capelle qui tunc erant et cetera. Item requisitus super nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se penitus nihil scire de contentis in eisdem, nec scit quod de contentis in eis sit publica vox et fama.

Art. 1 à 12. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* diuionensis tenuerunt et cetera, dixit quod dictus articulus verus est, et quod ita vidit a quinquaginta annis citra pluries et per multos annos, tempore abbatum et decanorum de quibus habetur mentio in predicto secundo articulo. Interrogatus quantum tempus sit longum, dixit quod tempus quinquaginta annorum, prout sibi videtur. Item requisitus super secundo articulo dicti libelli qui articulus sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibi habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quia a dicto tempore citra ita pluries audiuit dici a multis de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super tertio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* habuerunt et cetera, dixit quod a dicto tempore citra ita pluries audiuit dici a pluribus canonicis dicte capelle de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et etiam super quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo, undecimo et duodecimo articulis, dixit se nihil scire, sed credit quod de contentis in eis fuit et est publica vox et fama apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle et quod ita dicitur apud dictas

ecclesias, nec aliud scit. Item interrogatus cuius conditionis sit, dixit quod ipse est clericus et libere conditionis. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod valorem centum librarum et amplius. Item interrogatus quam partem vellet obtinere in causa, dixit quod illam que jus habet quia ipsas partes quo ad hoc equaliter diligit. Item interrogatus si unquam fuit damnatus de aliquo crimine publico vel priuato et si predicta deposuit rogatus prece vel precio et cetera, dixit quod non.

Vicesimus unus testis.

Art. 2, 6, 9, 10. Item magister *Odo* dictus *Li Motoz* de *Diuione* vicarius predicte capelle testis productus ex parte dictorum religiosorum in causa predicta contra dictos decanum et capitulum, receptus, juratus et examinatus. Requisitus super secundo articulo dictorum religiosorum qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Medardi* diuionensis cum suo parochiatu et cetera, dixit quod bene sunt triginta anni elapsi quod ipse primo uidit et etiam a triginta annis citra per plura tempora similiter uidit, quod unus ex canonicis dicti monasterii *sancti Stephani* seruiebat et faciebat diuinum officium in dicta ecclesia *sancti Medardi* aut aliis, uicarius loco abbatis dicti monasterii et nunc etiam regitur per unum de canonicis monasterii eiusdem et quod dicitur communiter quod respondet abbati dicti monasterii. Item requisitus super sexto articulo qui sic incipit. Item quod ipsa ecclesia que appellatur capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod iterato suscitata questione et cetera. Item et super decimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta ordinatio et cetera, dixit quod non recolit se uidisse dictam ordinationem seu compositionem bullatam seu confir-

Art. 11 à 13. matam aut sigillatam aliquibus sigillis sed a decem annis citra aliquocies uidit transcriptum cuiusdam compositionis que dicebatur esse facta inter partes in quo quidem transcripto continebatur inter cetera ista clausula : *Odo*, dux *Burgundie*, hanc compositionem laudauit. Item requisitus super undecimo articulo qui sic incipit. Item quod dicta compositio et capitula et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod a triginta annis citra pluries audivit dici in dicta capella ac etiam in dicto monasterio *sancti Stephani* a multis de quorum nominibus ad presens bene non recolit quod dicta compositio super qua agitur inter ipsas partes facta fuit et per aliqua tempora ab ipsis partibus obseruata, non recolit de die, mense et hora nec de astantibus quando ita audiuit dici. Item requisitus super duodecimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod communiter dicitur apud *Diuionem* nec unquam audiuit dici contrarium quod predicta ecclesia *sancti Medardi* pertinet ad dictos abbatem et conuentum *sancti Stephani* diuionensis et dicitur similiter quod ipsa ecclesia *sancti Medardi* est ecclesia parochialis. Item requisitus super tertio decimo articulo qui sic incipit. Item quod super dicta discordia dicte partes et cetera, dixit quod a quindecim annis citra per aliqua tempora procuratores dictarum partium comparuerunt coram dicto *Roberto*, duce *Burgundie*, apud *Diuionem* seu coram eius commissariis uidelicet coram dominis *Johanne* de *Sinemuro*, et *Richardo* de *Monte Moreto*, baillivo dicti ducis, et coram ipsis super aliquibus de contentis in dicta compositione cuius transcriptum uidit ut dictum est litigauerunt, sed nescit utrum sponte et liberaliter et ex ui dicte confirmationis dicens quod ipse qui loquitur proposuit pluries coram dicto baillivo pro parte dictorum decani et capituli predicte capelle quod ipse baillivus pro dicto duce non poterat cognoscere inter partes predictas super contentis

Art. 32, 35, 36. in eadem compositione qui baillivus respondit et respondebat quod ipsum qui loquitur super hoc non audiret et quod audiuit quod tunc frater *Hugo,* nunc abbas dicti monasterii, et tunc etiam et dictus *Radulphus,* eius presbyter, dixerunt dicto baillivo domine dicti decanus non obedient nobis nec satisfacient nobis de iis super quibus agitur coram uobis inter nos et ipsos vicinos radietis et radiari faciatis eosdem. Item requisitus super tricesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod tunc ordinatum fuit inter partes et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super tricesimo quinto articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod abbas et conventus predicti monasterii habuerunt et cetera, dixit quod bene sunt decem et octo anni elapsi et amplius quod ipse fuit et est de choro dicte capelle et ex tunc et etiam antea per aliqua tempora ipse audiuit pluries dici in dicta capella et alibi apud *Diuionem* quod dicti abbas et conuentus habuerunt et ceperunt et habere et percipere consueuerunt in predicta capella unam prebendam integram, sicut unus canonicus dicte capelle et ipsam perceperunt a dictis capelle eodem modo quo canonici residentes et deseruientes in dicta capella perceperunt et habuerunt. Interrogatus a quibus ita audiuit dici, dixit quod a multis de quorum nominibus ad presens bene non recolit. Interrogatus quando primo et quando secundo ita uidit et audiuit et de die et de hora, diei, mense vel septimana et de astantibus, dixit quod non recolit, nisi quod ita audiuit tempore defuncti abbatis *Girardi,* quondam dicti monasterii, et fratris *Hugonis,* nunc abbatis eiusdem loci, et tempore defuncti *Artaudi,* quondam decani dicte capelle, et tempore magistri *Lamberti,* nunc decani dicte capelle. Item requisitus super tricesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod tempore dictarum compositionum et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod bene sunt octo anni et amplius elapsi quod ipse

Art. 37. audiuit dici a *Johanne,* dicto *Flurot,* quondam cellerario dicte capelle, pro aliquanto tempore dum esset cellerarius ipse recipiebat omnia bona prouenientia occasione dicte capelle et ea equaliter distribuebat inter canonicos ita quo dtantum percipiebat ab ipso cellerario ecclesia, abbas et canonici *sancti Stephani* quantum unus de canonicis dicte capelle et eodem modo audiuit dici a *Perello* de *Marreyo*, quondam cellerario dicte capelle, octo annis et amplius elapsis. Interrogatus de loco, dixit quod in dicta capella prout credit. Interrogatus de die, hora, mense, septimana et astantibus, dixit quod non recolit, sed ita audiuit pluries a dicto *Perello* de *Marreyo*, dicens ipse qui loquitur communiter in dicta capella et in dicto monasterio quod ecclesia, abbas et conuentus dicti monasterii *sancti Stephani* consueuerunt percipere et habere unam prebendam in dicta capella, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle et ita audiuit dici pluries a trigintaannis citra sicut predixit super tricesimo quinto articulo immediate precedente. Item requisitus super tricesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod de pecunia et cetera, dixit quod dictus articulus verus est. Interrogatus quomodo scit, dixit quod a dictis decem et octo annis usque ad sequentes tres annos nuper preteritos ipse uidit et presens fuit in dicta capella per multas vices et continuo quando fuit in dicta capella ad diuinum officium audiendum vel faciendum ibidem quod dicta ecclesia *sancti Stephani* deseruiuit per unum de canonicis suis in eadem capella, sicut unus de canonicis dicte capelle uidelicet per fratrem *Nicolaum*, dictum *Laudate*, et postmodum per fratrem *Odonem*, dictum *Verroquier*, canonicos ipsius capelle *sancti Stephani*, qui canonicus seruiens, ut dictum est, pro dicta ecclesia *sancti Stephani* de pecunia que in singulis canonicis dicte capelle solvi consueuit pro anniuersariis tantum percipiebat et habebat quantum unus de canonicis dicte capelle et uidit pluries

Art 38 à 41. solui de dicta pecunia dicto canonico *sancti Stephani*, ut dictum est, per *Johannem*, dictum *Flurot*, et etiam per *Perellum* de *Marreyo*, quondam cellerarios dicte capelle, in choro eiusdem loci in presentia decani et canonicorum multorum ipsius capelle ac etiam capellanorum et clericorum eiusdem hora magne misse et hora uesperarum. Interrogatus quot uicibus ita vidit, dixit quod pluribus et plus quam quadraginta uicibus ita uidit tempore abbatis et decanorum predictorum dicens quod contenta in dicto articulo possent probari quasi per omnes qui consueuerunt frequentare chorum dicte capelle. Item requisitus super tricesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod a tempore dicte compositionis et cetera, dixit quod ita uidit per tempus contentum in predicto tricesimo septimo articulo pluries et ante etiam quod dicti abbas et conuentus seruierunt in dicta capella per unum de canonicis suis idoneum et fidelem, sicut unus de canonicis dicte capelle. Item requisitus super tricesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conventus seu ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit quod dicitur quod perceperunt unam prebendam de bonis dicte capelle in communi bursa capituli eiusdem nec aliud scit.

Item requisitus super quadragesimo articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod dicitur communiter quod ecclesia *sancti Stephani* consueuit percipere unam prebendam in dicta capella et quod eam perceperunt abbas et conuentus predicti per plura tempora et quod seruiebant in dicta capella per unum de canonicis suis ut dictum est qui de pecunia que solui consueuit canonicis dicte capelle et anniuersariis tantum percipiebat nomine dictorum abbatis et conuentus quantum unus ex canonicis dicte capelle et ita dicitur in capella predicta et in dicto monasterio *sancti Stephani*. Item requisitus super quadragesimo primo articulo qui sic incipit. Item intendit pro-

Art. 42 à 51, 60. bare quod abbate et conuentu predictis percipientibus et cetera, dixit quod bene sunt decem anni elapsi quod ita audiuit dici a quibusdam canonicis dicte capelle et credit ipse qui loquitur quod diuisio huiusmodi facta fuit dictis abbate et conuentu percipientibus unam prebendam in dicta capella et similiter nuper audiuit dici quod a duobus annis citra diuiserunt dictas prebendas. Item requisitus super quadragesimo secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod dicta capella ducis et cetera, dixit se nihil scire. Item requisitus super quinquagesimo primo articulo qui sic incipit. Item quod specialiter fuit et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur quod dictus decanus habet curam animarum ducis et ducisse et credit quod ita contineatur in dicta compositione. Item requisitus super sexagesimo articulo qui sic incipit. Item intendit probare dictus procurator quod domus, terre, vinee et cetera, dixit quod a triginta annis citra audiuit dici pluries et etiam nunc dicitur communiter apud *Diuionem* quod domus, terre, vinee et possessiones, site in parochiis et intra fines parochiatuum, ecclesiarum *beati Michaelis, beati Nicolai, beati Petri, beate Marie,* diuionensis que ecclesie noscuntur pertinere ad abbatem et conuentum et ecclesiam *sancti Stephani* consueuerunt esse censuales dicte ecclesie abbati et conuentui *sancti Stephani* ab antiquo nec scit utrum sit aliqua exemptio specialis super hoc nec quod locus in quo dicta capella constitit sit vel consueuit esse censualis alicui persone vel ecclesie predicte sed bene credit quod domus laicorum commorantium in castro diuionense quod castrum dicitur esse in parochia et intra parochiatum ecclesie *sancti Medardi* diuionensis consueuerunt esse censuales ecclesie, abbati et conuentui *sancti Stephani* predicti. Item requisitus super sexagesimo

Art. 61 à 63. primo articulo qui sic incipit. Item quod predicta ecclesia *sancti Stephani* est et ab antiquo fuit et cetera, dixit quod nescit utrum sit parochialis, sed in ea sunt fontes baptismales in quibus pueri nati in dicto castro diuionense consueuerunt baptisari et fuerunt a viginti vel triginta annis citra prout dicit et vidit ipse qui loquitur. Item requisitus super sexagesimo secundo articulo qui sic incipit. Item quod terre, vinee et possessiones, site intra parochias et cetera, dixit quod nescit limites parochiarum predictarum sed a triginta annis citra pluries audiuit dici communiter et adhuc dicitur apud *Diuionem* quod dicti abbas et conuentus consueuerunt percipere et habere decimas ex terris, vineis et possessionibus sitis in finagio *Diuionis* in territorio de *Crusilles*, des *Basoys*, de *Poussot* et in quibusdam aliis locis, et vidit aliquos homines de quorum nominibus non recolit qui habebant vineas in locis predictis seu alteri eorum qui soluebant et conueniebant cum *Laurentio,* clerico, *Johanne,* eius filio, et domino *Johanne*, dicto teste presbytero receptoribus seu collectionibus decimarum dictorum abbatis et conuentus super decimis quas debebant dictis abbati et conuentui ratione vinearum suarum, dicens ipse qui loquitur quod ipse credit quod terre, vinee et possessiones predicte sunt de consuetudine antiquissima et approbata et consueuerunt esse decimales monasterio, abbati et conuentui *sancti Stephani* quia ita dicitur communiter apud *Diuionem*. Item requisitus super sexagesimo tercio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus dicti monasterii perceperunt, dixit quod credit dictum articulum verum esse, quia a triginta annis citra ita audiuit dici a pluribus et ita dicitur communiter apud *Diuionem*, dicens tamen quod nihil scit de limitibus dictarum parochiarum sed a dicto tempore citra ipse qui loquitur pluries soluit censum, et soluere consueuit mandato dictorum abbatis et conuentus de quibusdam domibus

Art. 64 à 47. quas habet in parochiatu *sancti Michaelis* et vidit per pluries annos quod mandatum dictorum abbatis et conuentus exigebat et leuabat et exigere et leuare communiter consueuerat census intra parochias de *Diuione* que noscuntur pertinere ad ipsos abbatem et conuentum videlicet intra parochias *beate Marie, beati Nicolai, beati Michaelis, beati Medardi* et *beati Petri* de *Diuione.* Item requisitus super sexagesimo quarto articulo qui sic incipit. Item quod perceperunt ab antiquo et cetera, dixit quod ab antiquo perceperunt et percipere et recipi fecerunt prout firmiter credit ex dictis terris et vineis, sitis intra parochias proximo nominatas seu ex fructibus unde prouenientibus decimas tanquam spectantes ad ipsos et ita dicitur communiter apud *Diuionem* quod abbas dicti monasterii *sancti Stephani* est curatus dictarum parochiarum et ratione cure earumdem percipere consueuit ipse abbas una cum conuentu dicti monasterii decimas in locis predictis. Item requisitus super sexagesimo quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti fuerunt per dicta tempora et cetera, dixit quod semper ita audiuit dici et ita firmiter credit dicens tantum quod non credit quod fuerint in dicta possessione quantum ad illos de capella. Item requisitus super sexagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod licet dicta compositio per sedem apostolicam, dixit quod bene sunt decem anni elapsi vel circa quod ipse audiuit contenta in dicto articulo proponi prout sibi videtur ex parte dictorum abbatis et conuentus contra dictos decanum et capitulum coram dicto domino duce et eius commissariis et credit quod dicti decanus et capitulum generaliter recusant soluere censum ecclesie, abbati et conuentui monasterii *sancti Stephani* prout in ipso articulo continetur. Item requisitus super sexagesimo septimo articulo qui sic incipit. Item quod dicti decanus et capitulum et canonici se opponunt et cetera, dixit se nihil

Art. 68, 69, 76 à 79. scire, nisi quod bene sunt septem anni elapsi et amplius quod audiuit dici in dicta capella et similiter in dicto monasterio *sancti Stephani* et extra quod decanus dicte capelle que nunc est, se opponit et impediuit et impedit quominus de vineis suis patrimonialibus et aliis vineis quas acquisiuit in dictarum parochiarum territoriis et quas non possidet ratione dicte capelle decimas soluantur eisdem abbati et conuentui. Interrogatus a quibus ita audiuit dici, dixit quod a pluribus de nominibus quorum non recolit. Item requisitus super sexagesimo octauo articulo qui sic incipit. Item quod de illis vineis quas dicta capella et cetera, dixit quod a decem annis citra ita audiuit dici pluries in locis predictis a multis de quorum nominibus non recolit. Item requisitus super sexagesimo nono articulo qui sic incipit. Item quod de predictis fuit et est publica vox et cetera, dixit quod publica vox et fama fuit et est apud *Diuionem*, de hiis que dixit et deposuit super sexagesimo, sexagesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octauo articulis predictis et specialiter in dicta capella et in dicto monasterio, nec aliud scit. Item requisitus super septuagesimo sexto articulo qui sic incipit. Item quod predicti decanus et capitulum subtraxerunt et cetera, dixit se nihil scire, nisi quod dicitur in dicta capella et alibi quod decanus et canonici predicte capelle recusauerunt et adhuc recusant generaliter soluere censum et decimas predictas eisdem abbati et conuentui et ita etiam audiuit dici in dicta capella a quibusdam canonicis dicte capelle et alibi a decem annis citra, dicens quod de eorum nominibus non recolit ad presens sed nescit utrum contra dictam compositionem veniendo ita recusauerunt. Interrogatus de tempore, dixit quod bene sunt octo anni elapsi quod ita audiuit dici nec recolit de die mense, nec septimana. Item requisitus super septuagesimo septimo, octauo et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requi-

Art. 80 à 93. situs super octogesimo, octogesimo primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et nono articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nonogesimo, nonogesimo primo, secundo et tertio articulis, dixit se nihil scire, nisi quod a septem annis citra aliquocies audiuit dici a magistro *Lanberto* nunc decano dicte capelle et a magistro *Johanne*, dicto *Escharny*, canonico eiusdem capelle, quod nolebant jurare dictam compositionem et quod nunquam jurarent super ipsa compositione et a quibusdam aliis canonicis dicte capelle.

Art. 1 à 4. Item requisitus super primo articulo libelli attemptatorum qui articulus sic incipit. In primis intendit probare dictus procurator quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani* tenuerunt et habuerunt et cetera, dixit quod a viginti quinque annis proximo preteritis usque ad tres annos nuper lapsos ita vidit pluries et plures annos in dicta capella et quando fuit in eadem dum fieret inibi diuinum officium et vidit quod canonicus quem ibi tenuerunt aliquocies celebrabat magnam missam in dicta capella ad magnum altare eiusdem et faciebat diuinum officium et seruiebat in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle. Item requisitus super secundo articulo qui sic incipit. Item quod dictus canonicus quem ibidem habuerunt et cetera, dixit se nihil scire, immo vidit pluries quod sedebat in alia sede. Item interrogatus super tercio articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti et ecclesia *sancti Stephani* et cetera, dixit illud idem quod supra deposuit, super tricesimo quinto articulo prelibato. Item requisitus super quarto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti habuerunt et cetera, dixit quod bene sunt viginti anni elapsi et amplius et etiam ab eodem tempore citra quod ipse audiuit dici pluries et etiam adhuc dicitur quod dicti abbas et conuentus habuerunt et perceperunt et panem et vinum in dicta capella sicut unus ex canonicis

Art. 5 à 9. dicte capelle de distributionibus vero cothidianis illud idem deposuit et dixit super eodem articulo, quod de pecunia quod solui consueuit per anniversariis, supradixit et deposuit super tricesimo septimo articulo predicto, in omnibus et per omnia et eamdem cum scientie reddidit super huiusmodi distributionibus qualem reddidit super pecunia que solui consueuit pro anniuersariis prout in dicto xxxln articulo continetur. Item requisitus super quinto articulo qui sic incipit. Item quod abbas et conuentus predicti possidebant, dixit quod tempore dicte appellationis que emissa fuit bene sunt septem anni elapsi vel circa prout videtur ipsi qui loquitur qui vidit quod frater *Odo*, dictus *Verroquier,* canonicus *sancti Stephani*, seruiebat et postea etiam servivit in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et percipiebat distributiones cothidianas in dicta capella, sicut unus ex canonicis eiusdem capelle, et credit quod tunc dicti abbas et conuentus percipiebant panem et vinum et distributiones cothidianas, sicut supradixit super dicto xxxln articulo, dixit etiam quod credit quod dicti abbas et conuentus fuerunt in possessione percipiendi et habendi grossos fructus unius prebende et distributiones cothidianas in predicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle, a viginti annis a proximo preteritis usque ad tres annos nuper lapsos nec aliud scit. Item requisitus super septimo et octauo articulis, dixit se nihil scire. Item requisitus super nono articulo qui sic incipit. Item quod lite mota et pendente decanus et capitulum et cetera, dixit per circa quatuor annos proximo preteritos ipse vidit quandoque quod frater *Odo*, dictus *Verroquier*, canonicus *sancti Stephani*, qui tunc seruiebat in dicta capella pro ecclesia *sancti Stephani* predicti sedebat et sedere nolebat in dicta sede decanus dicte capelle qui nunc est et canonici euisdem capelle presentes in choro ipsius capelle non erant bene contenti de dicto fratre *Odone* et dicebant

Art. 10 à 12. quod non debebat sedere in dicta sede et dicto tempore aliquando vidit firmari hostia chori dicte capelle ex parte dictorum decani et capituli ne dictus frater *Odo* dictum chorum intraret et ne in dicta sede sederet prout dicebatur ibidem. Item requisitus super decimo, undecimo et duodecimo articulis, dixit se nihil scire, nisi quod a viginti annis et amplius citra audiuit dici pluries a multis de quorum nominibus non recolit, etiam de canonicis dicte capelle, et etiam ita dicitur communiter apud dictas ecclesias *sancti Stephani* et capelle quod abbas et conuentus et ecclesia *sancti Stephani Diuionis* tenuerunt et habuerunt in dicta capella unum canonicum regularem ad seruiendum et faciendum diuinum officium in dicta capella, sicut unus ex canonicis dicte capelle et quod dictus canonicus quem ibidem tenuerunt et habuerunt faciebat et facere consueuerat primam ebdomadam post decanum ipsius capelle et quod habuerunt et perceperunt grossos fructus unius prebende panem et vinum et distributiones cothidianas in dicta capella sicut unus ex canonicis dicte capelle, nec aliud scit. Item interrogatus quantum habet in bonis, dixit quod valorem centum librarum turonensium et amplius. Item interrogatus si predicta deposuit rogatus vel doctus, dixit quod non. Item interrogatus quam partem vellet obtinere in causa, dixit quod illa que jus habet. Item interrogatus utrum prece vel precio et cetera, dixit quod non.

Vicesimus secundus testis.

Item dominus *Dominicus* rector ecclesie de *Buxeyo*, presbyter chori predicte capelle, testis productus ex parte dictorum religiosorum in causa predicta contra prefatos decanum et capitulum receptus, juratus et examinatus ac requisitus diligenter et singulariter super articulis predictis

super quibus supranominati testes resiquiti fuerunt sicut premittitur et super quibus pars dictorum religiosorum voluit tantummodo requiri et examinari testes ; dixit se penitus nihil scire.

Item supradicti religiosi ecclesie *sancti Stephani* nomine dicte ecclesie contra prefatos deconum et capitulum ipsius capelle coram nobis cantore et *Bartholomeo* prefatis, in eadem causa produxerunt et exhibuerunt in modum probationis litteras seu instrumenta, infrascripta, ad probandum articulos continentes compositiones factas inter ipsas partes et ad omnem alium affectum ad quem de jure valere possunt et dicte ecclesie *sancti Stephani* prodesse in causa predicta, quarum litterarum tenor prime littere talis est :

« *G...* dei gratia lingonensis episcopus omnibus ad quos iste littere peruenerunt salutem. Uniuersitati vestre notum fieri volumus, quod querela illa que inter *Hugonem*, illustrem ducem *Burgundie*, et canonicos ecclesie *beati Stephani Diuionis* super capella eiusdem ducis apud *Diuionem* construenda vertebatur utrisque partibus coram nobis constitutis et sibi inuicem ad pacis bonum consentientibus hoc modo terminata est, videlicet ut ecclesia *sancti Stephani* in predicta capella annuatim unam prebendam cum integritate fructuum habeat. Canonici capelle in villa commorantes cimisterium nunquam facient nec etiam alibi quam apud *sanctum Stephanum* sibi eligent sepulturas aut habitum religionis suscipient nisi, quandiu sani et incolumes existiterint, ad aliam ecclesiam migrare voluerunt. Testes sunt : *Manasses*, archidiaconus, *Petrus*, decanus de *Barro*, *Guillelmus*, miles de *Oruil*, *Nicolaus*, capellanus, *Wido Ruffus*, *Aymo Ruffus*. »

Cui quidem littere appensum erat unum sigillum cum una cartula pendenti, de cera communi, oblunge, in quo

sigillo erat scupltura, seu impressio cuiusdam hominis, ad modum clerici, inducti pontificales vestes, cum mitra in capite, tenentis baculum pastoralem in manu sinistra et de manu dextra sursum elevata signare videbatur ; in circonferentiis ipsius sigilli legebantur videlicet : « ✠ Sigillum *Galteri* lingonensis episcopi. »

Item tenor secunde littere talis est :

« *Petrus*, dei gratia *sancte Romane* presbyter, cardinalis tituli *sancti Grisogoni*, apostolice sedis legatus, omnibus ad quos presentes prouenerint littere, salutem in domino. Uniuersitati vestre notum fieri volumus quod cum querela, que inter venerabilem fratrem nostrum *G...* lingonensem episcopum ac canonicos *beati Stephani*, et illustrem ducem *Burgundie* super capella eiusdem ducis apud *Diuionem* construenda vertebatur, nobis a domino papa delegata fuisset, coram nobis constitutis eos ad concordiam studuimus reuocare. In hanc itaque compositionis formam unanimiter conuenerunt ut in predicta capella a canonicis eligatur decanus qui episcopo hominum exhibebit. Episcopus in predicta capella eiusque successores unam habebunt prebendam, ita tantum quod ab episcopo lingonense ea prebenda certe assignetur persone in hiis que memoratus dux capelle contulit, siue postmodum est collaturus, si exinde molestiam dux aliquam canonicis capelle intulerit, episcopus exercere justiciam non habebit, nec canonicos procuratoris alterius nec exactionis onere grauabit ecclesia *sancti Stephani* ibidem unam prebendam cum integritate fructum habebit cimiterium nunquam facient canonici capelle in villa commorantes, nec etiam alibi quantum apud *sanctum Stephanum* sibi eligent sepulturas aut habitum religionis suscipient nisi quamdiu sani et incolumes exstiterint ad aliam ecclesiam migrauerunt. Statutum est preterea et communi assensu canonicorum capelle ipsius quoque ducis approbatum, ut dominus papa eiusque successores

annuum canonem unius marte in ipsa capella annuatim percipiant; ut aut hoc futuris temporibus ratum et inconcussum permaneat presentis scripti auctoritati id duximus confirmare et sigilli nostri impressione munire. »

Cui secunde littere predicte appensum erat unum sigillum cum una cartula pendenti, de cera communi, forme oblunge, in quo erat scupltura, seu impressio cuiusdam hominis admodum clerici, sedentis in cathedra, totam faciem exponentis, cum mitra in capite, inducti pontificales vestes, tenentis in manu sinistra juxta pectus librum, et dextram manum apparatam et pectori junctam, ac in circonferentiis ipsius sigilli hee littere legebantur, videlicet: « ✠ *Petrus*, presbyter cardinalis tituli *sancti Grisogoni.* »

Item tenor tertie littere talis est:

« *Galterus*, dei gratia lingonensis episcopus, omnibus imposterum et inuicto nobis officio et diuine pietatis intuitu ecclesiis nobis commissis quietem transquillam preparare et earum bona et dignitates pro posse nostro canonice tamen et juste ampliare et ampliata fouere debemus. Inde est quod dilecte filie nostre beati prothomartiris *Stephani* diuionensis et canonicorum ibidem sub regula inventui utilitati perpetue et quieti prouidentes liberam et electorem abbatis per temporum successionem concedimus, addidimus etiam quod abbas loci illius quicunque erit curam animarum quatuor parochiarum *Diuionis* recipiat habeatque ab episcopo *sancte Marie* videlicet *sancti Michaelis, sancti Medardi* et *sancti Nicolai* ut autem hoc inconcussum et stabile permaneat presenti scripto perpetua et tenaci uniendum memoria commendauimus et sigilli nostri auctoritate confirmauimus. Actum est hoc anno ab incarnatione domini M° C° LXXVIII°. Huius rei testes sunt *Wiardus* magister *Mormenti*, *Hunaudus,* capellanus meus, *Herembertus* de *Rubeomonte*, *Nerdiunus* lingonensis canonici de canonicis ecclesie illius *Radul-*

phus, prior *Petrus sancti Medardi, Johannes* de *Savigneyo sancte Marie* capellani de seruientibus eiusdem ecclesie *Willelmus* ventarius, *Petrus* cocus. »

Cui tertie littere predicte appensum erat unum sigillum cum una cartula pendenti, de cera communi, forme oblunge, in quo erat sculptura, seu impressio cuiusdam hominis, admodum clerici inducti pontificales vestes, stantis cum mitra in capite, tenentis baculum pastoralem in manu sinistra et habentis manum dextram sursum elevatam qua signare videbatur, et in conferentiis ipsius sigilli hec littere legebantur, videlicet : « ✠ Sigillum *Galteri* lingonensis episcopi. »

Item tenor quarte littere talis est :

« Nouerunt omnes presentes et posteri qui lecturi sunt presens scriptum querelam que vertebatur inter canonicos *sancti Stephani* diuionensis et canonicos capelle domini ducis pro eadem capella sopitam in hunc modum pacifico fine fuisse ecclesia *sancti Stephani* prebendam integram in capella semper habebit que nunquam in usus alios aliquatenus expendetur quam tantum prebendam ecclesia *sancti Stephani* per idoneum sacerdotem canonicum regularem vel secularem deseraiet. Si quis aut canonicorum capelle de hac luce migrauerit eodem anno prebendam eius ecclesia *beati Stephani* suscipiet et habebit, et post annum libera erit. Ideoque pia consideratione statutum fuit, ut ecclesia *sancti Stephani* pro singulis defunctis canonicis capelle plenarium faciat obsequium omni tempore tanquam pro uno ex suis, et canonici capelle pro canonicis *sancti Stephani* facient similiter et hoc ipsum hinc inde scribetus communiter capella non habebit cimiterium nec parochiatum et canonici capelle positi in infirmitate non se poterunt alibi vel ad religionem vel ad cimiterium transferre nisi apud *sanctum Stephanum* si pede vel equo siue alieno adiutorio ire non poterint sed et canonici

capelle aliam non poterunt in capella religionem vel ordinem statuere nisi de ecclesia *sancti Stephani* et si quis eorum pauperes vel diues noluerit apud *sanctum Stephanum* habitum religionis insumere non negabitur et sed voluntarie suscipietur ibi domus proprie canonicorum capelle in quibus morantur et officine capelle ipsius non erunt censuales nec cellaria, nec coquine, nec grangie. Relique vero censuales erunt vinee quoque de generali capelle tam a censu quam a decimis erunt libere sed proprie canonicorum vinee censum absque dabunt et ut hoc totum stabile sit semper et firmum decanus capelle magister *Nicolaus* nomine et canonici eius qui tunc erant superstites jurisjurandi interpositione manibus propriis firmauerunt hoc totum bona fide servare et ecclesie *beati Stephani* jurauerunt omnis fidelitatem. Idque statutum fuit quandocumque decanus in eadem capella constituetur, eamdem fidelitatem faciat ecclesie *sancti Stephani* quod si facere forte noluit canonici capelle non habebunt eum pro decano donec fidelitatem fecerit. Idipsum modo simili faciat canonicus quibus in capella de nouo constitutus antequam prebende fructum suscipiat hanc eamdem fidelitatem fecerunt canonici *beati Stephani* canonicis capelle. *Milo* secularis et abbas *sancti Stephani* verbo simplici bona fide et eius concanonici dato fidei sacramento. Et quod suprascriptum est de decanis capelle et eorum concanonicis hoc ipsum statutum est de abbatibus *sancti Stephani* et canonicis eorumdem excepto quod abbates manu propria non jurabunt, sed tamen verbo simplici fidelitatem hanc bona fide fideliter facient. Hec omnia facta sunt per manum *Garnerii* abbatis *Alberipe* et domini *Belini* lingonensis sacriste et decani de *Nuillero* et domini *Arnaldi* decani de *Chasneio*. Testes sunt : *Aymo* abbas *sancti Benigni* diuionensis, magister *Hugo* prior *Tilecastri*, et *Robertus* de *Pesmis*, qui pacis huius coadjutores fuerunt, *Petrus* prior

cisterciensis et *Zacarias* item cisterciensis monachus anno M° C° LXXXV°. »

Cui predicte littere quarte appensa erant quatuor sigilla, de cera communi, cum quatuor cartulis pendentibus, formarum oblungarum, in quorum primo erat scupltura seu impressio cuiusdam hominis, admodum clerici inducti vestes secerdotales, tenentis in manu dextra quemdam crociam et in sinistra librum, et in circonferentiis ipsius hee littere solummodo legi poterant, videlicet : « ✠ Sigillum alba. » In secundo vero sigillo erat impressio cuiusdam hominis, admodum sancti inducti quoddam indumentum ad instar cuiusdam dalmatice seu tunicelle ut videbatur stantis genibus flexis, et super caput ipsius erat quedam manus ex cuius anteriori parte videbatur impressio cuiusdam lune, ex posteriori vero parte eiusdem videbatur impressio cuiusdam stelle, et in circonferentiis ipsius sigilli hee littere legebantur : « ✠ Sigillum *sancti Stephani* diuionensis. » In tertio autem sigillo erat impressio cuiusdam hominis, admodum clerici inducti vestes sacerdotales, tenentis in manu dextra librum junctum petiori et in sinistra manu palmam et in conferentiis ipsius hee littere legebantur scilicet : « ✠ Sigillum *Nicolai* decani capelle ducis diuionensis. » Et in quarto sigillo videbatur impressio *beate Marie*, tantum bene distingui non poterat, et in circonferentiis non poterant legi nisi iste littere videlicet : « Sigillum. »

Item tenor quinte littere talis est.

« Notum sit omnibus ad quos presentium venerit noticia litterarum quod dissentio que vertebatur inter abbatem et conuentum *sancti Stephani* diuionensis ex una parte, et canonicos capelle ducis *Diuionis* ex altera, super integritate prebende predicte capelle quam petebat ecclesia *sancti Stephani* in hunc modum pacificata est et sopita et ad concordiam reuocata ecclesia *sancti Stephani* unam prebendam integram habebit in capella ducis,

quam ipsa ecclesia percipiet eodem modo quo canonici residentes et deseruientes in eadem capella et deseruiet eam per canonicum regularem idoneum et sacerdotem. Preterea si aliquis canonicorum predicte capelle de hac luce migrauerit, ecclesia *sancti Stephani* fructum prebende illius canonici defuncti, post mortem ipsius canonici per unum annum integraliter habebit, si ille canonicus prebendam vel partem prebende aliquando receperit nomine prebende vel si ratione infirmitatis ad aliquam religionem transierit et de illa infimitate moriatur elapso anno prebenda redibit ad capellam. Si vero aliquis canonicorum prebende sue alio modo renunciauerit ecclesia *sancti Stephani* fructum illius prebende propter hoc non habebit. Tamen si ratione infirmitatis renunciaverit et non conualuerit eam habebit, si conualuerit non habebit. Ideoque pia consideratione statutum fuit ut ecclesia *sancti Stephani* pro singulis defunctis canonicis capelle ducis plenarium faciat obsequium, omni tempore tanquam pro uno ex suis, et canonici capelle pro canonicis *sancti Stephani* faciant similiter, capella non habebit cimiterium nec parochiatum, preter quam ducis et ducisse quorum curam habet auctoritate domini pape, decanus predicte capelle, sed et canonici capelle non poterunt aliam religionem vel ordinem in capella statuere nisi de ecclesia *sancti Stephani*, et si quis eorum pauperes vel diues apud *sanctum Stephanum* habitum religionis voluerit assumere non negabitur ei sed voluntarie ibi suscipietur domus proprie canonicorum capelle in quibus morantur et officine capelle non erunt censuales nec cellaria nec coquine nec grangie. Relique vero erunt censuales, vinee quoque capelle de generali tam a censu quam a decimis erunt libere, sed proprie canonicorum vinee censum absque decimis dabunt. Abbas vero et canonici *sancti Stephani*, decanus et canonici capelle fidelitatem sibi invicem fecerunt, et hanc fidelitatem et hanc compositionem bona

fide tenendam et obseruandam juramento interposito firmauerunt. Abbas vero et canonici *sancti Stephani*, decanus et canonici capelle qui substituentur ad compositionem et fidelitatem supradictam tenendam et obseruandam juramento obligabunt, et si decanus vel aliquis canonicorum capelle jurare noluerit intra octo dies postquam requisitus fuerit ab abbate *sancti Stephani* prebendam suam non recipiet in capella antequam jurauerit. Similiter si abbas vel aliquis canonicorum *sancti Stephani* qui de cetero substituentur juramentum istud facere noluerit intra octo dies postquam requisitus fuerit a decano, canonici *sancti Stephani* non habebunt eum pro abbate, nec abbas canonicum habebit pro canonico donec jurauerit, similiter si decanus vel aliquis canonicorum capelle qui de nouo substituentur, illud juramentum facere noluerit intra octo dies postquam requisitus fuerit ab abbate, decanus non habebitur pro decano et canonicis suis nec canonicus pro canonico a decano suo donec jurauerit. Abbas vero et canonici *sancti Stephani* istam fidelitatem jurabunt in capella ducis, decanus vero et canonici capelle jurabunt eam in ecclesia *sancti Stephani* secundum predicta requisiti... *Odo* autem dux *Burgundie* hanc compositionem laudauit et ad petitionem utriusque partis manutenere promisit et quod eam faciet fideliter obseruari. In cuius rei testimonio presenti scripto sigillum suum apposuit. Abbas et conuentus *sancti Stephani*, decanus et capitulum capelle ut hoc ratum imposterum haberetur sua sigilla similiter presenti scripto apposuerunt. Actum anno gratie M° CC° septimo decimo mense maio. »

Cui quinte littere predicte appensa erant quinque sigilla, de cera communi, cum quinque cartulis pendentibus, quorum primum erat forme rotonde et moditum erat fractum in capite et in parte inferiori, in quo erat scupltura, seu impressio cuiusdam hominis, admodum

unius militis armati sedentis supra quemdam equum, tenentis scutum quoddam ante pectus, et quemdam ensem in manu dextra. In circonferentiis vero ipsius sigilli hee littere legebantur, videlicet : « Sigillum *Odonis,* ducis *Burgundie.* » Secundum autem sigillum erat forme oblunge, in quo erat impressio cuiusdam domine, sedentis supra quemdam sedem, cum quodam puero ad pectus admodum imaginis *virginis Marie* et videbatur tenere in manu dextra quoddam lilium, et puer quem tenebat, habebat quemdam librum clausum in manu sinistra, et in circonferentiis ipsius sigilli hee littere legebantur, videlicet : « ✠ Sigillum capituli capelle ducis *Diuionis.* » Tertium vero eorumdem sigillorum erat forme oblunge, in quo videbatur esse impressio imaginis cuiusdam hominis, stantis genibus flexis et quasi brachiis junctis que imago ad plenum bene cerni non poterat propter oppositionem ipsius sigilli et in ipsius sigilli circonferentiis hee littere legebantur, videlicet : « ✠ Sigillum *sancti Stephani Diuionis.* » Quartum siquidem ipsorum sigillorum erat forme oblunge, modicum fractum ex inferiori parte ipsius in quo erat impressio seu scultura cuiusdam hominis, inducti quasi pontificales vestes, tenentis in manu sinistra librum et crociam in dextra alia vero signa ipsius imaginis bene cerni seu comprehendi non poterant propter oppositionem et antiquitatem ipsius, nec littere que in conferentiis eius erant similiter legi poterant propter oppositionem eiusdem. Quintum vero predictorum sigillorum similiter erat forme oblunge, in quo erat impressio cuiusdam hominis, ad modum clerici inducti sacerdotales vestes, et in circonferentiis eiusdem sigilli hee littere legebantur, videlicet : « ✠ Sigillum *Roberti* decani capelle ducis. »

Item tenor sexte littere talis est.

« *Honorius* episcopus seruuus seruorun dei dilectis filiis abbati et conuentui *sancti Stephani*, et decano et capitulo

capelle ducis *Diuionis*, salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum, et uota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere rappertum dilecti in domino filii vestris justis postulatoribus grato concurrentes assensu, compositionem super quadam prebenda quam nos filii abbas et conuentus petebatis in dicta capella inter nos amicabiliter initam sicut sine prauitate proinde facta est, et sponte ab utraque parte recepta, et in autentico inde confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentes scripti patrocinio communimus ad rei autem notitiam pleniorem, ipsius autentici tenorem presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari qui talis est. Notum sit omnibus ad quos presentium venerit noticia litterarum quod dissentio que vertebatur inter abbatem et conuentum *sancti Stephani Diuionis* ex una parte et canonicos capelle ducis *Diuionis* ex altera, super integritate prebende predicte capelle quam petabat ecclesia *sancti Stephani*, in hunc modum pacificata est et sopita et ad concordiam reuocata, ecclesia *sancti Stephani* unam prebendam integram habebit in capella ducis quam ipsa ecclesia percipiet eodem modo quo et canonici residentes et deseruientes in eadem capella et deseruiet eam per canonicum regularem idoneum et sacerdotem, preterea si aliquis canonicorum predicte capelle de hac luce migrauerit ecclesia *sancti Stephani* fructum prebende illius canonici defuncti post mortem ipsius canonici per unum annum integraliter habebit, si ille canonicus prebendam vel partem prebende aliquando recepit nomine prebende, vel si ratione infirmitatis ad aliquam religionem transierit et de illa infirmitate moriatur, elapso anno prebenda redibit ad capellam. Si vero aliquis canonicorum prebende sue alio modo renunciauerit, ecclesia *sancti Stephani* fructum illius prebende propter hoc non habebit, tamen si ratione infirmi-

tatis renunciauerit et non conualuerit eam habebit, si conualuerit non habebit. Ideoque pia consideratione statutum fuit ut ecclesia *sancti Stephani* pro singulis defunctis canonicis capelle ducis plenarium faciat obsequium omni tempore tanquam pro uno de ex suis et canonici capelle pro canonicis *sancti Stephani* faciant similiter, capella non habebit cimiterium nec parochiatum preterquam ducis et ducisse quorum curam habet auctoritate domini pape decanus predicte capelle sed et canonici capelle non poterunt aliam religionem vel ordinem in capella statuere nisi de ecclesia *sancti Stephani* et si quis eorum pauperes vel diues apud *sanctum Stephanum* habitum religionis voluerit assumere, non negabitur ei sed voluntarie ibi suscipietur domus proprie canonicorum capelle in quibus morantur et officine capelle non erunt censuales nec cellaria nec coquine nec grangie. Relique vero erunt censuales vinee quoque capelle de generali tam a censu, quia a decimis erunt libere, sed proprie canonicorum vinee censum absque decimis dabunt, abbas vero et canonici *sancti Stephani*, decanus et canonici capelle fidelitatem sibi invicem fecerunt et hanc fidelitatem et hanc compositionem bona fide tenendam et obseruandam juramento interposito firmauerunt abbas vero et canonici *sancti Stephani* decanus et canonici capelle qui substituentur ad compositionem et fidelitatem supradictam tenendam et obseruandam juramento se obligabunt et si decanus vel aliquis canonicorum capelle jurare noluerit infra octo dies postquam requisitus fuerit ab abbate *sancti Stephani* prebendam suam non recipiet in capella antequam jurauerit, similiter si abbas, vel aliquis canonicorum *sancti Stephani* hoc idem facere noluerit intra octo dies postquam requisitus fuerit a decano capelle prebendam non recipiet in ecclesia *sancti Stephani* nec communionem fratrum habebit antequam jurauerit similiter si abbas vel aliquis canonicorum *sancti Stephani* qui de cetero

substituentur juramentum istud facere noluerit intra octo dies postquam requisitus fuerit a decano canonici *sancti Stephani* non habebuerit eum pro abbate nec abbas canonicum habebit pro canonico donec jurauerit, similiter si decanus, vel aliquis canonicorum capelle qui de nouo substituentur illud juramentum facere noluerit intra octo dies postquam requisitus fuerit ab abbate, decanus non habebitur pro decano et canonicis suis, nec canonicus pro canonico a decano suo donec jurauerit abbas uero et canonici *sancti Stephani* istam fidelitatem iurabunt, in capella ducis, decanus uero et canonici capelle iurabunt eam in ecclesia *sancti Stephani* secundum predicta requisiti. *Odo* autem dux *Burgundie* hanc compositionem laudauit et ad petitionem utriusque partis manutenere promisit et quod eam faciet fideliter obseruari. In cuius rei testimonium presenti scripto sigillum suum apposuit. Abbas et conuentus *sancti Stephani* decanus et capitulum capelle ut hoc ratum imposterum haberetur sigilla sua similiter presenti scripto apposuerunt. Actum anno gratie millesimo ducentesimo septimo decimo mense maio. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam mee confirmationis infringere uel et ausu temerario contraire si quis autem hoc attemptare prosumpserit indignationem omnipotentis dei et *beatorum Petri* et *Pauli* apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum *Ferentini...* III die jouis *Augusti,* pontificatus nostri anno secundo. »

Cui quidem sexte littere appensa erat quedam bulla plombea, cum filo de serico rubeo et croceo, in qua bulla ex una parte scuplta erant capita *beatorum Petri* et *Pauli* cum quadam cruce in medio ipsorum, et supra ipsa capita hee littere legebantur : « S. Pa. S. Pe. » Ex altera vero parte ipsius bulle hee littere legebantur seu scuplte erant, videlicet : « *Honorius* papa III. »

Item tenor septime littere talis est :

« Uniuersis presentes litteras inspecturis frater *Girardus* abbas, totusque conuentus ecclesie *sancti Stephani*, *Artaudus* decanus et capitulum capelle ducis diuionensis salutem in domino notum facimus quod super querelis, discordiis et controuersiis quas habemus ad inuicem super quibus causa uertitur inter nos coram illustri uiro *Roberto* duce *Burgundie* camerario *Francie*, compromittimus abbas, conuentus, decanus et capitulum memorati, in prenominatum abbatem et magistrum *Lambertum Accoroise* canonicum dicte capelle tanquam in arbitros arbitratores seu amicabiles compositores dantes eisdem portatem et speciale mandatum super dictis discordiis, querelis et controuersiis in toto uel in parte diebus feriatis et non feriatis de plano sine strepitu indicii libelli oblatione et qualibet alia juris solemnitate cognoscendi, arbitrandi, pronunciandi et ordinandi de alto et basso prout sibi uidebatur expresse promittentes per stipulationem sollempnem et sub pena centum marcharum argenti soluendarum parti arbitrium dictum pronunciationem uel ordinationem ipsorum compositionem parte non obseruante uel contraueniente nos facturos adimpleturos et inuiolabiliter seruaturos quicquid super dictis discordiis, querelis et controuersiis in utraque parte dixerint pronunciauerint arbitrari fuerint uel ordinauerint arbitri arbitrores seu amicabiles compositores predicti infra festum Natiuitatis *beate Marie* uirginis proximo uenturum nos et successores nostros et bona nostra obligantes specialiter et expresse ad obseruantiam omnium predictorum. Si uero quod absit abbas et magister *Lambertus* predicti non possent uel nollent infra terminum prelibatum dictas querelas, discordias et controuersias in toto uel in parte terminare uolumus et consentinus nos conuentus, decanus et capitulum memorati quod ex tunc in antea dominus dux *Burgundie* de plano et sine strepitu indicii et qualibet alia juris

sollempnitate determinet et expediat ea que per dictos abbatem et magistrum *Lambertum* expedita uel determinata non essent in quantum sibi competit ex compositione iurata et auctoritate sedis apostolice confirmata. Nos uero abbas et magister *Lambertus* predicti qui pro bono pacis et concordie onus in nos huiusmodi suscepimus compromissi promittimus juramento super sancta dei euangelia prestito corporali circa predictorum expeditionem bona fide pro utraque parte uacare et adhibere diligentiam efficacem : dedimus autem nos abbas predictus predicto conuentui nostro auctoritatem et speciale mandatum omnia et singula supradicta faciendi nos et ecclesiam nostram et bona nostra propter hoc specialiter obligandi consentientes omnibus que superius sunt expressa. In quorum omnium robur et testimonium, nos abbas et conuentus, decanus et capitulum predicti litteris istis sigilla nostra duximus apponenda : actum die ueneris post octabas Trinitatis anno domini millesimo ducentesimo octogesimo octauo. »

Cui quidem littere appensa erant quatuor sigilla, de cera uiridi, forme oblunge, cum quatuor cartulis pendentibus, in quorum primo erat impressio cuiusdam clerici, inducti pontificales uestes, cum capite discoperto, te nentis in manu dextra quemdam baculum pastoralem, et in manu sinistra quemdam librum ut uidebatur et a dextris et a sinistris ipsius erat quedam rosa, in circonferenciis aut ipsius sigilli hec littere legebantur, videlicet : « ✠ S. *Girardi* abbatis *sancti Stephani* diuionensis. » In secundo uero sigillo erat impressio cuiusdam domine, sedentis supra quemdam sedem, cum quodam puero ad pectus quem lactare uidebatur ad mamillam dextram, ad modum imaginis uirginis *Marie*, tenens manum suam dextram supra capud impressionis cuiusdam imaginis clerici, stantis genibus flexis et manibus junctis, et supra dictam manum dextram erat inscuplta quadam rosa ac

in circonferenciis ipsius sigilli hee littere legebantur, videlicet : « ✠ S. *Artaudi* decani capelle ducis. » A tergo vero ipsius sigilli erat impressio cuiusdam alterius sigilli, forme rotonde, in quo erat sculptura cuiusdam auis, habentis alas extensas in cuius sigilli circonferenciis hee littere legebantur, videlicet : « ✠ S. *A*... decani capelle ducis. » In tertio siquid sigillo dictorum sigillorum erat impressio cuiusdam hominis, stantis genibus flexis et manibus iunctis, et supra capud ipsius uidebatur esse quedam manus que ipsum benedicere uidebatur et ante ipsam impressionem dicti hominis erat pars cuiusdam lune post tergum vero ipsius erat quedam stella et in circonferenciis eiusdem sigilli hee littere legebantur, videlicet : « ✠ Sigillum *sancti Stephani* diuionensis. » In quarto autem sigillo eorumdem sigillorum erat sculptura siue impressio imaginis cuiusdam domine, admodum imaginis uirginis *Marie*, sedentis supra quamdam sedem, et habebat caput velatum ac tenebat in manu siue brachio sinistro quemdam puerum, et in manu dextra quoddam lilium, et in circonferentiis ipsius hee littere legebantur, uidelicet : « ✠ Sigillum capituli capelle diuionensis », et a parte dextra erat modicum confractum.

Item tenor octaue littere talis est :

« In nomine domini, amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo primo mense maio die veneris post dominicam qua cantatur jubibate nos frater *Pontius* sacrista monasterii *sancti Stephani* diuionensis, procurator religiosorum, uirorum, abbatis et conuentus monasterii *sancti Stephani* predicti, et magister *Johannes* dictus *Lathomus* clericus procurator uenerabilium uirorum decani et capituli capelle diuionensis illustris principis domini ducis *Burgundie* omnibus notum facimus, quod cum discordia esset inter predictos abbatem et conuentum *sancti Stephani* nomine monasterii sui ex una parte et predictos decanum et capitulum

nomine dicte capelle ex altera super quadam compositione olim inita inter abbatem et conuentum *sancti Stephani* predicti et canonicos dicte capelle qui tunc erant a domino papa confirmata ut asserunt abbas et conuentus *sancti Stephani* supradicti et super declarationibus et interpretationibus articulorum eiusdem compositionis pro parte dictorum abbatis et conuentus *sancti Stephani* et super petitionibus, exceptionibus, allegationibus, rationibus et priuilegiis dictorum decani et capituli capelle predicte quam compositionem *Odo* dux *Burgundie* diu est defunctus laudauit et manutenere permisit et quod eam faceret obseruari prout in litteris dicte compositionis continetur, et cum super predictis inter eosdem abbatem et conuentum *sancti Stephani*, decanum et capitulum dicte capelle fuisset diucius litigatum. Nos procuratores predicti, nomine procuratorio dictorum abbatis et conuentus et monasterii *sancti Stephani*, et dictorum decani et capituli et capelle predicte volumus et concedimus quod dicta compositione vel eius transcripto cui fides debeat adhiberi articulis, rationibus et allegationibus pro parte dictorum abbatis et conuentus *sancti Stephani*, et petitionibus, allegationibus et priuilegiis, aut priuilegiorum transcripto cui fides debeat exhiberi pro parte dictorum decani et capituli dicte capelle domino *Roberto* illustri duci *Burgundie* infra proximum festum ascensionis domini inscriptis tradendis possit ex tunc dictus dux per definitiam sentenciam discordiam jurisperitorum consilio terminare et ad maiorem fidem premissorum nos procuratores predicti sigilla dominorum, nominorum predictorum litteris presentibus rogauimus et obtinuimus apponi in testimonium ueritatis, actum ut supra. »

Cui quidem littere octaue appensa erant quatuor sigilla, de cera viridi, forme oblunge, cum quatuor cartulis pendentibus seu formarum oblungarum, in quorum primo erat impressio cuiusdam hominis, admodum clerici

inducti pontificales vestes, tenentis quamdam crociam in manu dextra et in manu sinistra unum librum ac in ipsius dextera parte erat sculptura cuiusdam stelle et in sinistra erat impressio cuiusdam lilii, in circonferenciis vero ipsius sigilli hee littere legebantur, videlicet : « ✠ S. *Hugonis* abbatis *sancti Stephani* diuionensis. » Secundum autem sigillum et quartum, sigillorum predictorum assimilabantur in omnibus, secundo et quarto sigillis appensis in predicta septima littera de quibus supra proximo mentio habetur. In tertio vero dictorum sigillorum erant sculpte impressiones duarum imaginarum unius admodum hominis, inducti tenentis ut uidebatur quemdam librum cum manu sinistra iuxta pectus, alterius admodum mulieris cuiusdam, inducte habentis caput velatum, stantis super quoddam tabernaculum, et inter ipsas imagines pendebat quidam clipeus, et sub dicto tabernaculo erat sculptura cuiusdam hominis, admodum cuiusdam fratris seu clerici, indutti capam siue quoddam scapulare, et licet esset aliquantulum propter oppositionem ipsius confractum tamen in circonferenciis sigilli hee littere legebantur, uidelicet : « ✠ S. *Lamberti* decani capelle ducis *Burgundie.* » A tergo vero ipsius sigilli erat impressio cuiusdam alterius sigilli, forme rotonde in quo erat sculptura cuiusdam auis tenentis cum pedibus quemdam librum clausum in cuius sigilli circonferenciis hee littere legebantur, videlicet : « ✠ S. *L...* decani capelle ducis *B...* ad causas. »

Item tenor none littere talis est :

Robertus dux *Burgundie* dilectis clericis suis domino *Johanni* de *Sinemuro* canonico laudunensi et magistro *Johanni* de *Lugduno* canonico belnensi : Salutem quia cognitioni cause que uertitur inter religiosos uiros, abbatem et conuentum *sancti Stephani* diuionensis ex una parte et discretos uiros decanum et capitulum capelle nostre diuionensis ex altera super quadam compositione

olim inter predecessores suos inita jurata a partibus et auctoritate sedis apostolice confirmata, quam manutenere debemus et facere obseruari prout hec in instrumentis legitimis continentur ad presens uacare non possumus magnis et arduis negociis impediti vobis in hac parte committimus tenore presentium uices nostras ita quod in negocio de plano et sine strepitu iudicii prout juste poteritis procedatis, cum intentionis sit lites dirimere inter ipsos facientes latam interlocutoriam in dicta causa per dominum *Jacobum* de *Rocha* olim episcopum eduensem, tunc prepositum *Susseii* auditorem seu judicem dictis partibus a nobis alias datum primitus obseruari in quantum iustitia suadebit, secundum retroacta coram aliis judicibus in dicta causa alias datis a nobis in negocio procedentes datum apud *Argillei* die dominica ante festum *beati Uincentii* anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo. »

Cui quidem none littere erat appensum quoddam sigillum, de cera communi, cum quadam cartula pendenti, forme rotonde, in quo erat impressio cuiusdam hominis, admodum cuiusdam militis armati, sedentis supra quemdam equum coopertum, tenentis unum scutum ante pectus, et ensem in manu dextra, in cuius sigilli circonferenciis hec littere legebantur et scuplte erant, videlicet: « ✠ Sigillum *Roberti* ducis *Burgundie.* »

Item tenor decime littere talis est :

« Cum nos *Johannes* de *Sinemuro* canonicus laudunensis et *Johannes* de *Lugduno,* canonicus belnensis uires illustris principis *R...* ducis *Burgundie* in hac parte gerentes citari fecissimus auctoritate predicta qua fungimur coram nobis apud *Diuionem* ad diem jouis post dominicam qua cantatur reminiscere, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo, decanum et capitulum capelle predicti domini ducis *Burgundie* de *Diuione* ad instantiam religiosorum uirorum, abbatis et conuentus

sancti Stephani diuionensis ad precedendum inter partes predictas secundum tenorem commissionis a domino uiro duce super hoc nobis facere, predicta die comparentibus coram nobis procuratoribus partium predictarum scilicet domino *Pontio* de *Tilecastro* canonico *sancti Stephani* pro abbate et counentu predictis, et magistro *Johanne* dicto *Lathomo* de *Diuione* clerico pro decano et capitulo memoratis, ex parte procuratoris religiosorum predictorum nobis fuit exhibita commissio supradicta in qua inter cetera continebatur quod nos faceremus quamdam interlocutoriam latam per dominum *Jacobum* de *Rocha* olim episcopum eduensem tunc prepositum *Susseii* auditorem seu judicem predictis partibus a predicto domino duce datum primitus obseruari in quantum iusticia suaderet cuius interlocutorie tenor contentus in instrumento sigillato sigillo predicti domini *Jacobi* fuit in presentia procuratoris partis aduersa nobis exhibitus et ostensus propter quod ex parte procuratoris abbatis et conuentus predictorum nobis nomine procuratorio exstitit supplicatum quod nos iuxta formam commissionis predicte antequam in dicta causa procederemus primitus faceremus obseruari interlocutoriam supradictam. Nobis afferens quod quidam canonici contra tenorem interlocutorie memorate fidelitatem dicto abbati facere ac etiam per propria iuramenta firmare indebite recusabant, scilicet magister *Johannes* canonicus et thesaurarius predicte capelle et quidam alii qui quidem magister *Johannes* ibidem presentialiter existebat propter quod petebat predictus procurator nomine quo supra quod nos predictum *Johannem* thesaurarium et ceteros canonicos qui non jurauerant qui fidelitatem et juramenta predicta indebite facere recusabant, ut dicebat, compelleremus ad prestandum fidelitatem predictam et juramenta predicta procuratore dictorum decani et capituli in contrario dicente scilicet quod uirtute commissionis nobis exhibite in causa

predicta quo ad obseruantiam predicte interlocutorie ad presens procedere minime poteramus pluribus rationibus, prima erat pro eo quod cum predicta interlocutoria faceret mentionem de quadam commissione facto predicto *Jacobo* et predicto domino, duce *Burgundie*, nec exhiberetur dicta commissio, predicte interlocutorie non erat fides aliquatenus adhibendi nisi exhiberetur commissio supradicta, nec sufficiebat quod dicta interlocutoria faceret mentionem de dicta commissione nisi et originalis commissio exhiberetur. Alia ratio erat quoniam assertioni predicti domini *Jacobi* non erat fides aliquatenus adhibenda nisi diceret per litteras se a dicto domino duce mandatum habuisse. Tertia ratio erat quod dicti religiosi non poterant uti commodo interlocutorie nisi eam ostenderent rite latam, quod non faciebant ut dicebat cum non docerent de juridictione predicti *Jacobi,* nec de citatione et processu cause facto coram predicto *Jacobo* de quibus omnibus dubitabatur et merito dubitari poterat ut dicebat, cum de istis predictis decano et capitulo nunquam fuerit facta fides. Quarta erat quoniam quicumque petit sententiam judicis delegati executioni mandari ille a quo petitur non tenetur mandatum exequi, nisi sibi facta fides fuerit de juridictione judicis delegati, et hic non constabat de commissione facta predicto *Jacobo* ut dicebat, nec obstabat ut dicebat procurator predictus quod dominus dux asserebat et ratificabat in commissione nobis facta quod ipse predicto domino *Jacobo* in causa predicta commiserat uices suas. Quoniam ut dicebat domino duci non erat in hoc credendum nec ei erat fides adhibenda, nam dicto unius testis non erat credendum quantacumque prefulgeat dignitate procuratore partis aduerse in contrarium asserente et dicente quod nobis satis constare poterat et constabat quod dictus *Jacobus* judex seu auditor fuerat in predicata causa datus, cum dominus dux nobis hoc scriberet et sub sigillo suo mandaret prout apparebat ex

commissione predicta, cui nos indubitanter credere debebamus, unde et si nobis non constaret per tenorem interlocutorie supradicte, dictam causam predicto domino *Jacobo* commissam esse prout concludunt rationes partis aduerse, tamen hoc nobis constabat ex predicta commissione nobis a predicto domino duce facta quicquid diceret pars aduersa. Quare cum nobis constaret ex commissione predicta nobis facta causam nobis esse commissam et predictum *Jacobum* qui tulit interlocutoriam memoratam iudicem extitisse seu etiam auditorem, ex ui commissionis nobis facte procedere poteramus ad obseruationem interlocutorie memorie quantum justicia suaderet, preponebat insuper predictus magister *Johannes* quod contra eum procedere minime poteramus ad obseruationem interlocutorie memorate cum citatus non esset ut dicebat, nec obesse ei seu artare eum non poterat citatio, qua citati erant decanus et capitulum memorati. Nam ut dicebat talis citatio singulariter canonicos non artabat, cum sit causa uniuersitatis non singulorum altera parte asserente in contrarium, et dicente quod cum dictus *Johannes* esset de capitulo quoniam est canonicus et thesaurarius dicte capelle satis per consequens uidebatur citatus, maxime cum hic ageretur contra decanum et capitulum super tali facto quod a singulis canonicis est faciendum : partes igitur predicte super predictis jus sibi fieri, et interloqui a nobis cum instancia petierunt, et nos *Johannes* de *Sinemuro,* et *Johannes* de *Lugduno* predicti, ad instanciam procuratorum predictorum et prenominati *Johannis* canonici et thesaurarii dicte capelle consideratis et pensatis utrius partis allegationibus quantum ad causam abbatis et conuentus predictorum ex una parte, et decanum et capitulum memoratos ex alia parte pertinet de jurisperitorum consilio interloquendo pronunciamus nos ex ui commissionis facte a domino nostro duce, posse et debere procedere ad hoc quod nos faciamus obseruari interlocutoriam

memoratam quantum iusticia suadebit non obstantibus allegationibus partis aduerse scilicet illis in quibus pars aduersa proponebat et dicebat nos ea ratione non posse procedere quam nobis de juridictione et commissione data seu facta predicto domino *Jacobo* non constabat qui tulit interlocutoriam memoratam, cum de predicta juridictione et commissione liquido nobis constet et parti aduerse constare debeat ex commissione nobis a domino duce facta in qua asserit predictus dux dictum dominum *Jacobum* judicem se dedisse, cuius assertioni fidem indubitanter adhibemus non obstantibus prepositis ex aduerso, aliis rationibus reseruatis et saluis predictis decano et capitulo in quantum de jure debebunt reseruari et esse salue. Quantum autem ad abbatem et conuentum predictos ex una parte, et predictum *Johannem* ex altera pertinet non interloquimur nec procedemus contra dictum *Johannem* tanquam contra citatum : iniungimus tantum sibi presenti quod obseruet interlocutoriam memoratam nisi habeat iustam causam quare dictam interlocutoriam obseruare minime teneatur ad quam proponendum ad requisitionem procuratoris religiosorum predictorum, predicti citamus eumdem apud *Belnam* coram nobis ad diem sabati ante ramos palmarum et ad procedendum inter partes predictas quantum de jure fuerit procedendum quam diem etiam assignauimus procuratoribus partium predictarum superius nominatis nomine quo supra, et etiam singulariter canonicis predicte capelle ibidem presentialiter existentibus cum ibidem inter ceteros canonicos dicte capelle existerent, magister *Johannes* curatus de *Beligneyo* subtus *Belnam* dictus *Guido* de *Diuione* curatus de *Maruaux*. *Guido* de *Edua* canonici capelle predicte ad procedendum super predictis et etiam ulterius prout iusticia suadebit datum et actum anno et die supradictis. »

Cui quidem littere appensa erant duo sigilla, de cera

uiridi, cum duabus cartulis pendentibus, in quorum primo quod erat forme oblunge, erat sculptura siue impressio imaginis cuiusdam domine, admodum imaginis beate uirginis, sedentis super quoddam tabernaculum, tenentis puerum in brachio sinistro et habentis manum dextram subtus bracchium dextrum ipsius pueri, et sub dicto tabernaculo erat sculptura hominis, admodum cuiusdam clerici, inducti capam, in cuius sigilli circonferenciis hee littere legebantur, uidelicet : « ✠ S. *Johannis* de *Sinemuro* canonici *Laudunensis.* » In secundo uero sigillo quod erat forme rotonde, erat impressio imaginis apparentis in parte anteriori esse auis et in posteriori parte leonis habentis caudam sursum erectam, et quondam alam eleuatam super dorsum et in ipsius sigilli circonferenciis hee legebantur, uidelicet : « ✠ S. *Johannis Guifredi* canonici belnensis. »

Item tenor undecime littere talis est :

« Anno domini millesimo ducentesimo octogesimo primo die jouis ante penthecostam cum discordia uerteretur coram magistro *Jacobo* de *Rocha* preposito eduense habente mandatum super hoc speciale a domino nostro *Roberto* nobili duce *Burgundie* inter religiosos uirum abbatem *sancti Stephani* diuionensis ex una parte et uenerabiles uiros decanum et canonicos capelle eiusdem ducis ex altera super quadam compositione inter dictas ecclesias quondam mita, sigillis, abbatis et conuentus *sancti Stephani*, et decani et capituli predicte capelle et sigillo bone memorie *O* .., quondam ducis *Burgundie*, sigillata manutenendaque per dictum ducem et successores eiusdem ac auctoritate sedis apostolice confirmata super eo uidelicet quod dictus abbas petebat fidelitatem sibi fieri a decano et canonicis supradictis et per eorumdem iuramenta firmari fidelitatem predictam et compositionem factam diu est inter dictas ecclesias se imperpetuum tenendos et seruaturos cum eorum predecessores

istud idem iurauissent et ipsi et eorumdem successores hoc idem facere tenerentur sicut in littera super compositione confecta plenius est expressum. Ex parte decani et canonicorum fuit ex aduerso propositum et responsum quod capella predicta ex ui et potestate cuiusdam articuli in littera compositionis contenti pro duce et ducissa cimiterium habere poterant et debebant, dicentes prius esse declarandum si ex ui dicti articuli possent et debebent habere cismiterium pro duce et ducissa quam debere facere fidelitatem et iuramenta prestare sicut petebatur ab abbate predicto ; abbas siquidem antedictus fidelitatem et iuramenta prius esse prestanda dicebat offerens se facta fidelitate et prestitis juramentis facturum et procuraturum omnia ad que ex ui et auctoritate predicte littere teneretur. Et super hiis uidelicet ad quod esset prius procedendum utrum ad fidelitatem faciendam et iuramenta prestanda, uel ad faciendam declarationem articuli memorati, partes predicte a nobis interloqui petierunt. Die igitur jouis ante *Penthecosten* predictam assignata predictis partibus ad interloquendum a nobis et eis coram nobis in judicio comparentibus uidelicet dicto abbate personaliter et dicto decano et domino *Johanne* de *Roura* canonico dicte capelle pro se et capitulo dicte capelle ut dicebant, et a nobis interlocutoria cum instancia ferri postulantibus nos auditis rationibus utriusque partis et diligenter inspectis solum deum habentes pre oculis bonorum uirorum freti consilio, in presentia reuerendi in Christo patris ac domini *G*... dei gratia lingonensis et magistri *Lamberti* archidiaconi laticensis in ecclesia lingonense interloquendo pronunciamus fidelitatem et juramenta predicta prius esse facienda et prestanda cum sit maximum remedium dirimendarum litium jusiurandum, et deinde esse procedendum ad compositionem tenandam et declarandam in singulis articulis in quibus tenenda fuerit dicta compositio et etiam decla-

randa. In cuius rei testimoniis presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum, datum anno et die predictis. »

Cui siquidem undecime littere appensum erat quoddam sigillum, de cera uiridi, cum quadam cartula pendenti, forme rotonde, in quo erat impressio imaginis cuiusdam aquile, habentis alas extensas, et caudam in medio pedum extensorum in latum et in ipsius sigilli circonferenciis hec littere legebantur, uidelicet : « ✠ S. *Jacobi* de *Rocha* prepositi ecclesie eduensis. »

Item tenor duodecime littere talis est :

« *Innocentius*, episcopus seruius seruorum dei dilectis filiis abbati monasterii *sancti Stephani* diuionensis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum religiosam uitam eligentibus apostolicum conuenuit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet aut robur quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in domino filii nostris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium *sancti Stephani* diuionensis lingonensis diocesis in quo diuino estis obsequio mancipati sub *beati Petri* et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. In prime siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum deum et *beati Augusti* regulam in eodem loco institutus esse noscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascunque possessiones quecunque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum uel principium oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci firma nobis utrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinenciis suis

sancti Michaelis, sancte Marie, sancti Petri, sancti Nicolai et *sancti Medardi* in *Diuionis* ecclesias cum omnibus pertinenciis eorumdem ecclesiam *sancte Marie* de *Marceniaco*, cum omnibus pertinenciis suis, ecclesiam *sancti Andree* de *Parigniaco*, cum omnibus pertinenciis suis, *sancti Aniani* in *Aquaductu, sancti Martini* de *Quintiniaco*, *sancti Maurici* de *Siliciaco*, *sancti Germani* de *Copiaco*, *sancti Florentini* de *Tilecastro*, cum capelle *sancte Marie* et *sancti Petri* de *Mirebello* ecclesias cum decimis tertiis et omnibus pertinenciis earumdem de *Curceyaco, sancti Martini* de *Campis* cum capella de *Fontanis sancte Marie* de *Gemellis* cum capella de *Pichangis*, *sancti Andree* de *Ormentiaco* cum capellanis suis et de *Colomerio*, cum capellanis suis et *sancti Martini* de *Arco* ecclesias cum decimis tertiis et omnibus pertinenciis earumdem, capellam que est inter leulerium et *sanctum Fidolum* cum omnibus pertinenciis suis, locum de *Puteolo*, locum de *Aginno* fonte, locum de *Ealdo Altrei*, locum de *Franceis*, locum de *Bonaualle*..... cum omnibus pertinenciis eorumdem, grangiam de *Geyaco* cum omnibus pertinenciis suis, grangiam de *Lespai* cum omnibus pertinenciis, suis, grangiam de *Ospireio* cum omnibus pertinenciis, villam que dicitur *Asnerie* cum omnibus pertinenciis villam que dicitur *Atavilla* cum omnibus pertinenciis suis, cum pratis, terris, nemoribus, usuagus pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane monalium nostrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis de quibus monalibus aliquis hactenus non percepit sine de nostrorum animalium nutrimentis nullus a uobis decimas exigere uel extorquère presumat. Liceat quoque nobis clericos uel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conuersionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum nostrorum post factam in monas-

terio nostro possessionem fas sit sine abbatis sui licencia de eodem loco nisi arcioris religionis obtentu discedere, discedentem uero absque communium litterarum nostrarum cautione nulla audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat nobis clausis januis exclusis excommunicatis et interdictis non pulsatis campanis supressa uoce diuina officia celebrare dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero oleum sanctum consecrationes altarium seu basilicarum ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promouendi a diocesano suscipietis episcopo siquidem catholicus fuerit et graciam et communionem sacrosancte *Romane* sedis habuerit et ea nobis noluerit sine paruitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut intra fines parochie nostre nullus fine assensu diocesam episcopi et nostro capellam seu oratorium de nouo construere audeat saluis priuilegiis pontificum romanorum ad hec nouas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibus ue personis a nobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse determinus ut eorum deuotioni uoluntati qui se illic sepeliri deliberauerunt nisi forte excommunicati uel interdicti sint ac etiam publice usurarii nullus obsistat. Salua tamen iusticia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum nostrarum spectantes que a laicis detinentur redimendi et legistime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent reuocandi libera sit nobis de nostra auctoritate facultas, obeunte nouo te nunc eiusdem abbate, uel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astucia seu uiolentia preponatur nisi quem fratres communi consensu uel maior pars consilii samoris secundum deum et *beati Augustini* regulam prouiderint eligendum paci quoque et tranquillitati nostre paterna

in posterum sollicitudine prouidere nolentes auctoritate apostolica prohibemus ut intra clausuras locorum, seu grangiarum nostrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fondere, hominem temere capere uel interficere seu uiolentiam audeat, exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris romanis pontificibus monasterio nostro concessas nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus uel aliis fidelibus rationabiliter nobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus determinus ergo ut nulli omnino hominum liceat perfatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iusticia et in supradictis decimis moderatione consilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularis ue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit secundo tertioue..... congrua satisfactione correxerit potestate honorisque sui caueat dignitate reamque se diuino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat .... corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri *Jhesu Christi* aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni..... loco sua jura seruantibus sit pax domini *Jhesu Christi* quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia..... Amen, amen..... amen, amen. »

In qua quidem littera erat quidem articulus forme rotonde in quo hee littere legebantur, uidelicet : « Notas mihi fac domine uias uite ; *sanctus Petrus, sanctus Paulus, Innocentius* papa IIII », et extra dictum circulum hee littere continebantur : « Ego *Innocentius*, catholice

fidei episcopus, ego *Oto*, portuensis et *sancte Rufina* episcopus, ego *Petrus*, abbanensis episcopus, ego *Guillermus*, sabinensis episcopus, ego *Petrus*, tituli *sancti Marcelli* presbyter cardinalis, ego *Guillermus*, basilice duodecim apostolicorum cardinalis presbyter, ego frater *Johannes*, tituli *sancti Laurentii* in lucina presbyter cardinalis, ego frater *Hugo*, tituli *sancte Sabine* presbyter cardinalis, ego *Egnius*, *sanctorum Cosme* et *Damiani* diaconus cardinalis, ego *Octauianus*, *sancte Marie* in uia lata diaconus cardinalis, ego *Petrus*, *sancti Georgii* ad uelum aureum diaconus cardinalis, ego *Johannes*, *sancti Nicolai* in carcere Tulliani diaconus cardinalis, ego *Willermus*, *sancti Eustachi* diaconus cardinalis, datum *Lugduni* per manum magistri *Marini*, *sancte Romane* ecclesie *Uicecancellarij*, x calendas septembris, indictionis III, in incarnationis dominice anno millesimo ducentesimo XLV°, pontificatus uero domini *Innocentii* pape IIII anno tertio. »

Item tenor tercie decime littere talis est :

« Dies lune post octabas omnium sanctorum est assignata coram nobis *Diuione* abbati et conuentui *sancti Stephani* diuionensis ex una parte et decano et capitulo capelle nostre divionensis ex altera ad diffiniendum a nobis super causa que coram nobis uertitur inter ipsos cessantibus dicta die omnibus allegationibus juris et facti datum de consensu partium die Jouis post octabas *beate Marie Magdalene* continuata a nobis a die mercurii precedentis anni domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio. »

Cui quidem tercie decime littere appositum erat quoddam sigillum de cera rubea forme rotonde in quo quidem sigillo erat impressio cuiusdam targe in qua erant insculpte tres barre ad instar clipei ducis *Burgundie* que targia erat posita intra quamdam rotam cum sex angulis in quorum quolibet erat quedam rosa quod quidem sigillum con-

sueuit apponi in litteris siue actis causarum que uertuntur coram dicto duce.

Item tenor quarte decime littere talis est :

« *Roberz* dux de *Burgundie* a notre preuost de *Dyiun*, salut. Nous te mandons que tu aiornes par deuant nos à *Beaune* au jour de mecredy après la quinzene de la feste de Tous saints prochenemant venant l'abbé et le couvant de *Saint Estienne* de *Dyiun* d'une part, et le doyen et le chapitre de notre chapele de *Dyiun*, d'autre, en tel estat comme ils estoient aiorne par devant nos à *Dyiun* au jour de landemain de loctave de la dite feste de *Tous Saintz* sus la cause qui est entre eux, donné à *Boure* landemain de la natiuite *notre Dame* lan de notre Seignour mil deux cent quatre vingt treize. Randez les lettres et saelez le commandement fait. »

Cui quarte decime littere erant apposita duo sigilla, forme rotonde, quorum sigillorum primum erat de cera rubea, et apparebat esse comsimile in omnibus supradicto sigillo apposito in predicta tercia decima littera. In secundo uero sigillo erat impressio clipei, in quo erant inscuplte tres barre ad instar clipei ducis *Burgundie* quod sigillum erat de cera uiridi, et in ipsius sigillis circonferenciis hec littere sculpte erant, uidelicet : « ✠ S. *G*... *Bonote* preuost de *Dyiun*. »

Item tenor quinte decime littere talis est :

« *Rouberz*, dux de *Bourgoigne* à notre preuost de *Dyion*, salut et amour. Nous te mandons que tu aiournoies pour deuant nous à *Beaune* à nous pruchains jourz qui seront cestu leundi apres la *saint Martin* de yuer le doyen et le chapitre de notre chapele de *Dyion* que il pour aus ou pour procureour soffisant soient au dit jour pour oir une sentence ou volunte de ce qui est sus nous dau descort qui est entre aus d'une part, et religieux, hommes l'abbe et le couant de saint Estienne, pour raison dou cors que ils ont enterré ou fait enterrer nouelemant en la dite

chapele et vien jor dit de part nous que vignoient ou non ou envoient nous, nous deliurerons troichiemant le dit jour de la dite cause : deux te garent. Donne à *Rouuves* le vendredi deuant le dit jour lan de grâce mil deux cent quatre vingt et treize. Ren ces lettres saelees le commandement fait. »

Cui quidem littere duo sigilla, forme rotonde, erant apposita, quorum primum erat de cera rubea, et secundum erat de cera uiridi, sicut proximo supradictum est de sigillis appositis in predicta quarta decima littera quibus apparebat esse similia.

Item tenor xvi littere talis est :

« *Rouberz*, dux de *Bourgoigne*, à notre preuost de *Dyion*, salut et amour. Nous te mandons que tu aiournoies pour devant nous en *Jeuigny* le mecredy après les *Bordes*, labbe et le couuent de *saint Estienne* de *Dyion*, de une part, et le doyen et le chapitre de notre chapele, de autre, que il pour eux ou pour procureurs soffisanz pour deuant nous le dit jour, a oir droit comme deuant en la cause qui est entre aux pour deuant nous segon lestat que ils estoient aiourne pour deuant nous à *Beaune* le mecredy après la quinzaine de la feste *Tous Sainz* nouelemant passée, deux te gart. Donné à *Aysy* le mardy après la *Saint Valentyn*, lan de grâce mil deux cent quatre vingt et treize. Rendez ces lettres, seaulées le commandement fait. »

Cui littere xvi apposita erant duo sigilla forme rotonde, unum de cera rubea et aliud de cera uiridi, quorum sigillorum primum erat consimile in omnibus primo sigillo apposito et de quo mentio habetur in quarta decima littara predicta ; secundum uero sigillum similiter erat simile secundo sigillo in eadem quarta decima littera apposito.

Produxerunt etiam et exhibuerunt coram nobis supradicti religiosi contra dictos decanum et capitulum una

cum dictis litteris citatoriis, plures alias litteras citatorias in quibus continebatur quod dictus dux *Robertus*, dux *Burgundie*, mandabat preposito suo diuionensi quod citaret dictos abbatem et conuentum *sancti Stephani* et decanum et capitulum dicte capelle, coram ipso duce in quibus litteris apposita erant duo sigilla de quibus supra proximo facta est mentio specialis (1).

(1) Archives départementales, G. 220.

ESSAI DE RECONSTITUTION

DES ARTICLES POSÉS AUX VINGT-DEUX TÉMOINS

TÉMOINS INTERROGÉS	Nº de l'article	QUESTIONS POSÉES
1, 7.	1	L'église de Saint-Médard dépend-elle de Saint-Etienne ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	2	L'église de Saint-Médard est-elle une église paroissiale dépendant de Saint-Etienne ? Depuis combien de temps ? Quelles sont ses limites ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	6	Sur quelle paroisse la chapelle du duc a-t-elle été construite ?
Id.	9, 10	Y a-t-il eu un arrangement entre la paroisse de Saint-Médard et la chapelle du duc ?
Id.	11	Combien de temps cet arrangement a-t-il duré ?
Id.	12	Que dit l'opinion publique sur la question ?
1, 2, 3, 4, 5, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	13	A quel moment la discorde a-t-elle éclaté ?
1, 2, 3, 4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	32	Quelles furent les décisions prises dans la première comparution ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	35	La chapelle du duc versait-elle une prébende à l'abbaye de Saint-Etienne ?
Id.	37	Comment se réglait cette prébende ?

TÉMOINS INTERROGÉS	N° de l'article	QUESTIONS POSÉES
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	38	L'abbaye de Saint-Etienne avait-elle un de ses religieux desservant la chapelle du duc ?
Id.	39	La chapelle du duc payait-elle encore une autre redevance ?
Id.	40	Que dit l'opinion publique ?
Id.	41	Autrefois y avait-il deux prébendes ?
Id.	42, 43	Indépendamment de la prébende donnée aux chanoines de la chapelle du duc, y avait-il une prébende distincte pour l'abbaye de Saint-Etienne ?
Id.	44, 45	La chapelle du duc a-t-elle refusé de payer deux prébendes distinctes ?
Id.	46	A quel moment a eu lieu ce refus ?
Id.	47, 48	La chapelle du duc versait-elle chaque jour une redevance en pain et en vin ?
Id.	49	Quand le chanoine délégué mourut, l'abbaye a-t-elle touché les deux prébendes ?
Id.	50	A l'exception des religieux de la Sainte-Chapelle, les habitants sont-ils paroissiens de Saint-Médard ?
Id.	51	Le doyen de la chapelle du duc est-il désigné par le Saint-Siège pour le service particulier du duc et de la duchesse ?
Id.	60	L'abbaye a-t-elle droit de dime dans ses cinq paroisses ?
Id.	61	Peut-on baptiser dans l'église de Saint-Etienne.
Id.	62	La chapelle du duc doit-elle payer des dimes à Saint-Etienne, comme les paroisses ?

TÉMOINS INTERROGÉS	N° de l'article	QUESTIONS POSÉES
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	63	Le témoin a-t-il vu prélever des dîmes sur la chapelle du duc, comme sur les cinq paroisses de Saint-Etienne.
Id.	64	Les propriétés de la chapelle du duc, situées sur les territoires des paroisses de SaintEtienne, étaient elles exemptes de dîmes ?
Id.	65	N'y a-t-il que les religieux de la chapelle du duc qui se prétendent exempts de dîmes ?
Id.	66	Immédiatement aprés l'arrangement approuvé par le pape, la chapelle du duc a-t-elle refusé de payer les dîmes ?
Id.	67	Les religieux de la chapelle du duc se prétendent-ils exempts, d'après l'arrangement même, de payer la dîme?
Id.	68	Les religieux de la chapelle ducale ont-ils observé l'arrangement pour leurs acquisitions postérieures ?
Id.	69	Que dit l'opinion publique ?
Id.	76	Le doyen et le chapitre de la chapelle ducale ne se sont-ils pas appropriés la redevance qu'ils devaient payer à Saint-Etienne ?
Id.	77	La chapelle du duc refuse-t-elle de payer par protestation contre l'arrangement?
Id.	78	Que dit l'opinion publique ?
Id.	79	Quelle était la valeur des distributions en nature faites par la chapelle du duc à l'abbaye de Saint-Etienne avant le procès ?
Id.	80	La chapelle ducale a-t-elle payé régulièrement tant qu'elle a été desservie par un chanoine de Saint-Etienne.
Id.	81	Combien y a-t-il de temps que ce service a pris fin ?

TÉMOINS INTERROGÉS	N° de l'article	QUESTIONS POSÉES
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	82	?
Id.	83	Que dit l'opinion publique ?
Id.	84	Cet arrangement était-il approuvé par le duc de Bourgogne ?
Id.	85	Le duc de Bourgogne est-il intervenu à propos de cet arrangement entre le couvent et sa chapelle ?
Id.	86	Que dit l'opinion publique sur les deux articles précédents ?
2.	87	?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21.	89	L'arrangement, vu plus haut, a-t-il été observé longtemps ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.	90	Quels ont été les témoins de l'arrangement ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. 16, 17, 18, 20, 21.	91	Y a-t-il des chanoines qui ont juré d'observer l'arrangement ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.	92	Le témoin a-t-il des preuves que les chanoines ont juré l'arrangement ?
Id.	93	Que dit l'opinion publique ?

Questions posées dans le *libellus attemptatorum*.

1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.	1	Le service de la Sainte-Chapelle a-t-il été régulièrement fait par un religieux de l'abbaye de Saint-Etienne ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 20, 21.	2	Avait-il une place particulière dans le chœur de la chapelle ?

TÉMOINS INTERROGÉS	N° de l'article	QUESTIONS POSÉES
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 20, 21.	3	Le témoin a-t-il vu la Sainte-Chapelle payer une prébende à l'abbaye de Saint-Etienne ?
Id.	4	Le témoin a-t-il vu les desservants de la chapelle du duc toucher leur prébende en pain et en vin, comme les autres chanoines de ladite chapelle ?
Id.	5	L'abbaye de Saint-Etienne touche-t-elle aussi une redevance en nature ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 20.	6	Après l'appel au duc, les distributions ont-elles continué d'être faites à l'abbaye de Saint-Etienne ?
1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. 16, 17, 18, 20, 21.	7	Sur quoi se basèrent les chanoines de la chapelle du duc pour cesser de payer les redevances ?
Id.	8	Quelle est celle des deux parties qui inobserva la première ce que l'on avait coutume de faire ?
Id.	9	Les chanoines de la chapelle du duc ont-ils refusé l'entrée du chœur au chanoine de Saint-Etienne, desservant ladite chapelle ?
Id.	10	Les chanoines de la chapelle ducale avaient-ils des motifs d'agir ainsi ?
Id.	11	Quel est le montant du dommage causé ainsi à Saint-Etienne par la chapelle du duc.
Id.	12	Que dit l'opinion publique ?

TABLE DES MATIÈRES

PREUVE TESTIMONIALE



PREUVE LITTÉRALE

Lettres accompagnées de la description de leurs sceaux.

DIJON, IMP. JOBARD

ÉTUDES DE DROIT BOURGUIGNON

Ouvrages déjà parus :

Les clubs dijonnais sous la Révolution, par L. HUGUENEY.

Les foires et marchés à Dijon, par E. COLLETTE.

La succession des bâtards dans l'ancienne Bourgogne, par H. GUIGON.

Le commerce des bois de Bourgogne, par G. MARLIO.

Essai sur le bail à cens en Bourgogne, par L. GALLY.

Essai sur les procureurs au Parlement de Bourgogne, par P. PARISOT.

Les Cimetières et les Marchés du vieux Dijon, par E. CHAMPEAUX.

L'Enquête civile en Bourgogne spécialement à l'époque des derniers Ducs, par M. GUILLEMARD

Essai sur l'amodiation en Bourgogne, par G. JANNIAUX.

Essai sur le douaire en Bourgogne, par A. RIDARD.

La Juridiction des Gouverneurs de Besançon, par E. MOLINES.

La corporation ouvrière à Besançon, par F. GROSRENAUD.

Les origines de l'hypothèque en Bourgogne, par J. COURTOIS.

Poursuite privée et composition pécuniaire dans l'ancienne Bourgogne, par G. VALAT.

La Fidéjussion en Bourgogne, par J. FRICAUDET.

Essai sur la ferme générale en Bourgogne, par Georges PITRE.

Des mésus causés par les animaux en droit burgonde et dans le duché de Bourgogne, par Jules BLETRY.

En cours d'impression :

L'arbitrage en Bourgogne dans l'ancien droit, par M. HEUILLARD

L'organisation financière en Bourgogne sous Philippe le Hardi, par Paul RIANDEY.

Le gage mobilier en Bourgogne, par Joseph QUESNEL.

La Chancellerie aux contrats du duché de Bourgogne, par Ernest CHAMPEAUX.

La communauté en Bourgogne, par Georges BLOC.

L'alleu en Bourgogne, par François CHAUMONT.

Les finances de la ville de Dijon au XVIIIe siècle, par Charles BERTUCAT.

Le maître des foires de Chalon, par Paul TOUSSAINT.



COLLECTION DE TEXTES

La compilation de Bouhier et les coutumiers bourguignons du XIVe siècle. — Le coutumier bourguignon de Montpellier, par E. CHAMPEAUX.

Les ordonnances des ducs de Bourgogne sur l'administration de la justice du duché, avec une introduction sur les origines du Parlement de Bourgogne, par E. CHAMPEAUX.

Les chartes de l'abbaye de Saint-Etienne de Dijon, des origines au XVe siècle.

PREMIER TOME. — Des origines au XIIIe siècle.

Chartes des origines à 1100, par J. COURTOIS (*paru*).
Chartes de 1100 à 1140, par M. HEUILLARD (*en préparation*).
Chartes de 1140 à 1155, par F. CHAUMONT (*en préparation*).
Chartes de 1155 à 1200, par G. VALAT (*paru*).

IIe TOME. — Le XIIIe siècle.

Chartes de 1200 à 1230, par E. COLLETTE (*paru*).
Chartes de 1230 à 1250, par A. RIDARD (*paru*).
Chartes de 1250 à 1270, par G. BLOC (*en préparation*).
Chartes de 1270 à 1280, par P. TOUSSAINT (*en préparation*).
Chartes de 1280 à 1286, par P. RIANDEY (*en préparation*).


IIIe TOME. — Première moitié du XIVe siècle.

Charte de l'an 1300, par M. GUILLEMARD (*paru*).
Chartes de l'an 1300 à 1309, par J. QUESNEL (*en préparation*).
Chartes de 1309 à 1320, par P. PARISOT (*paru*).
Chartes de 1320 à 1330, par J. FRICAUDET (*paru*).

IVe TOME. — Seconde moitié du XIVe siècle.

Chartes de 1377 à 1384, par G. JANNIAUX (*paru*).
Chartes de 1385 à 1394, par H. GUIGON (*paru*).
Chartes de 1395 à 1400, par L. GALLY (*paru*).

Le grand coutumier de Bourgogne de 1402, par E. CHAMPEAUX (*en préparation*).


Widener Library
3 2044 098 924 731